
B



Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

36-E-14

36
E
13

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SVB ALARVM



VMBRA TVARVM



DE IVBILEO EXTRAORDINARIO TRACTATVS

Cum expositione Bullæ SS. D. N. D. Innocentij X. Pont. Opt. Max. occasione Iubilei Vniuersalis Anno primo sui Pontificatus indicti.


Cum insertione etiam Breuis secundi Iubilei eiusdem SS. hoc Anno 1648 pro præsentibus Ecclesiæ necessitatibus editi ante huius Operis editionem

In quatuor partes digestus.

AVCTORE BERNARDINO BENEDICTO VRBANIENSE V. I. D. ac Prothonotario Apostolico, & Terræ S. Archangeli Ariminensis Diæcesis Archipresbitero.

Adiectis in fine nonnullis de Iubileo ordinario scitu, & notatu dignis.

Cum Summarijs, & Indice locupletissimo.



Coll. Rom. Bibl. secr. Soc. Iesu Cat. Inscrip.



ARIMINI M. DC. XXXXVIII.

Per Symbenum Symbenium Superiorum Facultate.

Digitized by Google

Digitized by Google

DEDICATIO OPERIS

Tibi Cœlicolæ Sanctiſſimo

BERNARDINO SENENSI

CONFESSORI, AC VERBI DEI

Præconi præſtantiſſimo, honorem, & reuerentiam.



Icut hac die 20. Maij 1648. quã Feſtum, & Tui commemorationem Eccleſia celebrat, Opus hoc omninò complere ſtudebam, ità Tibi Sanctiſſimo Viro, quem tanquàm meum præcipuum Protectorem apud Deum ſemper orare peropto, Opus hoc dedicare intendo, vt ſub tua protectione manens, à fidelibus, & maximè deuotis tuis auidiùs perlegatur, & in ipſis per tuam interceſſionẽ fructuoſius operetur. Accipe igitur ſerue Dei Sanctiſſime, qui (vt S. M. E. teſtatur) verbo, & exemplo Italiam illuſtraſti, hoc nouum ſignum meæ antiquæ deuotionis, & me, ac mea omnia ex tua benignitate protege.


Tui quem Humilimè veneror

Semper deuotiſſimus, & addictiſſimus Seruus
Bernardinus Benedictus.

 2

Digitized by Google

Pio, ac deuoto Lectori.



Ccipe pie, ac deuote Lector hunc paruulum de Iubileo Extraordinario Tractatum, & in similibus Iubileorũ occasionibus ne dedigneris (si libet) illum perlegere, si quidem quantum in eo ponitur de Casibus occurrentibus, vel qui occurrere possunt, totum vel textibus, vel Doctorum, quos præ manibus pro nunc habere potui, auctoritatibus, vel saltem validis (ni fallor) rationibus fulcitum reperies. Annis elapsis, quando indictum extitit Iubileum primum S.D.N.D. Innocentij Decimi in initio sui Pontificatus tot opiniones varias circa implementum operum iniunctorum, & alia ad materiam Iubilei Extraordinarij spectantia proprijs auribus audiui (vnusquisq; enim suo sensu abbundat) vt animo firmitèr proposuerim aliquod particulare studium in hac materia non leuitèr adhibere, prout feci: Sed quia eo peracto, tempus Iubilei iam erat elapsum, laborem omnem, ac studium ad partes iam posueram. At quia occasione secundi Iubilei eiusdem Sanctissimi pro præsentibus Ecclesiæ necessitatibus optimè perspexi, operepretium fuisse, vt opus ipsum esset in terminis talibus, quibus videri, & à pijs Lectoribus studiosè perlegi, imò & ad maiorem omnium cõmoditatem (amicorũ suasione) etiam imprimi posset, statui huic vltimam manum imponere, cum adiectione etiam nonnullorum ipsum secũdum Iubileum concernentium. Et quia Annus Sanctus 1650. iam appropinquat, vltimum Caput addere decreui, in quo multa tanguntur, quæ materiam Iubilei Ordinarij respicere noscuntur. Si ergò, deuotè Lector, lectione huius Operis Auctori fauere studueris, & hac occasione aliquem profectum cognoueris, Deo Optimo Maximo, à quo omne cæleste donum prouenit, gratias agere: si secus, totum defectibus, & imperfectionibus meis tribuere non erubescas, & Vale. Vnum addere iuuat (quod non sine animi mei molestia contingeret) vt si error aliquis post impressionem apperuerit, erratorum correctio in fine operis in folio particulari imprimi curabitur: Vndè eo casu ne graueris errata notare, & correctionem per te addere in locis annotatis, vt suo tempore, si locum mendosum legere tibi occurrerit, ob id occasione dubitandi, vel mentem Auctoris ignorandi penitùs careas: & iterum Vale.

Digitized by Google

Al Signore

BERNARDINO BENEDETTI

Per il Trattato de Iubileo extraordinario.

SONETTO.



STringea groppo diuin nodi celeſti
Più che di Gordio ineſtricabil laccio.
Ne ſaggio,ò forte alcun n'vſcia d'impaccio
Benche pronto d'ardir, di penſier deſti.

Saggio, e forte il valor colà moueſti
Tu ſacro Heroe,che di raggione il braccio
Girãdo à par del Sole à ſciorre il ghiaccio,
L'inuiluppato intrico al fin ſcioglieſti.

Che dirà il Mondo á l'hor,che i ſour'humani
Miſteri aſcoſi per fatal deſtino
Scorgerà ne tuoi fogli aperti, e piani?

Dirà, che nel mortal noſtro Confino
Diſpiegar di GIESV' gl' eccelſi arcani
Altri non douea mai,ch' vn BERNARDINO.

B. Z.

Digitized by Google

Pro Eodem. Exaſticon.

HAc iter eſt Cœlo, peteres dum culmina Cœli
Diue tibi prait Vox, Benedicte, pia;
Æmulus hic tibi virtutis, qui Nomine conſors
Quidni condigna pramia fert eadem?
Pramia fert eadem, fulgens qua ſcandimus aſtra
Nam cunctis ſecum panditur ecce via.

B. Z.



De Eodem.

SI bene noſſe cupis Iubilei myſtica ſacri,
Et qua ritè ſuo ſint peragenda loco:
Perlege, qua nuper diò mandata libello
Author Apollineo certius ore canit.
Hic tortos flexus, & cacas ante locorum
Ambages, mira ſoluit, & arte docet.
Aureus eſt calamus, ſunt aurea dicta: quid vltra?
Fas eſt atereas, ſcandere ad aſtra, plagas.
Soli iam detur Benedicto laurea, quando
Punctum ipſe in dubijs omne referre poteſt.

Caſſianus Portus.

Digitized by Google

Al Molt' Ill. e Reuerendiss. Sig. Arciprete

BERNARDINO BENEDETTI

Alludendo alle molte cariche di Vicario Generale di diuersi Vescoui da lui essercitate, Et al suo Libro de Iubileo.



PRia che dal mondo ingrato al sen paterno
Salisse à trionfar sempre adorato,
De gli Apostoli suoi diede al Senato
Le Chiaui del suo Regno il Verbo eterno;

Mà perche nata à Dio, tolta à l' Inferno
Crebbe intanto la messe in ogni lato,
Chi di Pietro succede al Trono alzato
Seco hà molti Operari hora al gouerno.

E se di questi in sostener la Vece
Degno Ministro il BENEDETTI ottenne
Gran parte consumar de gl' anni suoi,

Qual è stupor, s' esperienza il fece
Dotto così, ch' à dimostrar ci venne,
Come s' apra nel mondo il Cielo à noi?

Di Biagio Palmerini.

Digitized by Google

Perillustri, & Reuerendissimo Domino

D. BERNARDINO DE BENEDICTIS
PROTHONOTARIO APOSTOLICO

Et Prouidentissimo Terræ Sancti Archangeli Archipræsbytero.

QVI
Inter Legum donatos insignibus
Hac tempestate,
Nulli Secundus, Facile Primus
Verè Dynastes
Consiliorum apprimè vtilia ædit Oracula.

CVIVS
Mixta seueritati Comitas, Addita Munificentiæ Pietas
Gentilitias Patriæ Apes imitando,
In commissi Gregis commodum
Omnia prospiciens
Exerto pœnarum aculeo Deprompto Charitatis melle
Vitia lenis abigit. Inopes reficit liberalis.

CVI
Non tàm præmij monumentum, quàm familiaritatis signum,
TRITONIÆ vigens in Stemmate Olea,
In maximum BENEDICTÆ Domus fulgorem
Nominis Æternùm Stantis
Parit materiam.

QVEM
Et si artifex edocet Modestia Latère Superstitem,
Producit, Prædicat
Assecla Facinorum Gloria
Quæ Illustrissimi Pontificij Nuntij apud Sereniss: Venetam Rempub.
Generalis Auditor
Vrbaniæ, Velitris, Pisauri, Arimini, & Mediolani
Vicaria potestate Præses Ecclesijs Argo vigilantior
Mirè patrauit.

A QVO
Cùm de Amplissimis Peccatorum Indulgentijs
HOC publici Iuris prodeat Opus immortale,
INVIDIA, MOMO
Procul abactis
Mors Parcis hostibus exoritur.

Guidus Vbaldus Locius de Corinalto Vrbaniæ Ludim.
Admirabundus,
Obsequij, & Animi reuerentis ergò.

Digitized by Google

IN EVNDEM

D. BERNARDINVM DE BENEDICTIS

Eiusdem Guidi Vbaldi Locij

CARMEN.

HVC properate Viri, Iuuenes properate, Senesq;
Pectora Christiadum queis fouet alma fides.
Sit Vatum illecebris aures mulcere canoris,
Sitq; dies multos deperijsse satis
Hoc versate diù, noctu versate libentes
Protulit in lucem quòd BENEDICTVS opus.
Sũt procul hinc nugę, procul hinc mollesq; Camęnę
Estq; procul Phębi Castalis vnda Chori.
Iste liber referans, quæ sint Cęlestia Terris
Dona, & quæ Christi sint pietatis opes:
Iste docens, Animæ qua detur fluminis vnda
Lethiferum purà quodq; piare nefas.
Ecce viam docet, vt Cœlis post fata beatus
Æternos valeat ducere quisquè dies
Ergò quisquè legat sacrum, doctumq; volumen,
Cetera quòd præstat, quòd bona tanta parit.
Nempe alios summo liber hic præcellit honore,
Vt præstare sacrum quæquè profana solet.

Digitized by Google

DISTICON EIVSDEM.

Allud. ad Nomen, & ad Stemma Auctoris.

STemmate fert Oleam, celebri fert nomine Nardũ:
Florida non habeat, claraq; dicta liber?

ALIVD EIVSDEM

Allud. ad Cognomen.

VNdiq; probra sonant: erit hic BENEDICTVS in orbe?
St. Benedictus adest, qui bene dicta refert.

Digitized by Google

Per il medemo.



NON giouò tanto al generoſo figlio
Del vecchio Egeo la sfortunata Amãte,
Quanto dal Benedetti ogn'alma errante
Quì vien giouata col ſaggio conſiglio.

Quì ſe gli inſegna da mortal periglio
Ritrar con gran facilità le piante,
Quì di tornar in gratia al gran Tonante,
D'eſſer aſſolta dall'eterno eſſiglio.

Quì di pagar con minima mercede
Debiti più che graui; e quì ſi moſtra
La ſtrada d'eſſer di Gieſù coherede.

Chi nelle ſacre ſcuole entrar in gioſtra
Brama, delle materie hà quì la ſede:
Queſti ſon gli occhi della lingua noſtra.

S. N.

Ego

Digitized by Google

EGO Fr. Petrus Angelus Simoncellus de Callio Sacrę Theologię Magister, ac Prior Conuentus S. Cataldi de Arimino iussu Reuerendiss. P. Inquisitoris Generalis Ariminensis diligentissimè perlegi, necnon attentè cõsideraui hoc Opus de Iubileo extraordinario compositũ à perIll. ac adm. Reu. D. Bernardino, &c. ex probatissimis Auctoribus selectum, ad maximam breuitatem, & claritatem redactum, & nihil continere attestor, quod Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, catholicæ fidei, uel bonis moribus contrarium sit, imò uti publicæ utilitatis commodo accommodatum, existimo posse Typis demandari. Die 10. Decembris 1648.

Stante prædicta attestatione

Imprimatur

Fr. Vincentius Maria à Monte Sancto Inquisit. Arimini

Franciscus Lambardus Vic. Generalis.

Digitized by Google



PARS PRIMA

DE IVBILEO EXTRAORDINARIO

Concesso de Anno 1644. die 9. Decembris

A S. D. N. D. INNOCENTIO X. PONT. OPT. MAXIMO,

Quem Deus nobis diù incolumem seruet.

Tractatus hic in quatuor Partes diuiditur ad meliorem, & clariorem agendorum seriem.

Et primo Videndum erit de hoc titulo, & subiecta materia in se, & hoc in prima parte.

2 De expositione Bullæ, seu Litterarum S. D. N. Innocentij X. per annotationes, & hoc in secunda Parte.

3 De executione, seu adimplemento operum iniunctorum ad effectum consequendi Iubileum, & hoc in tertia Parte.

4 Et vltimò De priuilegijs, & gratijs concessis à summo Pontifice per hanc Bullam, & hoc in quarta Parte, in qua in vltimo Capitulo nonnulla subdentur ad materiam Iubilei ordinarij occasione Anni Iubilei, siuè Anni Sancti proximi 1650.

Et quo ad Primam est videndum de sex.

P. Quid sit Iubileum quo ad quid nominis, & de hoc Cap. primo.

2 Quid sit quo ad quid rei. Cap. 2.

3 Quotuplex sit Iubileum. Cap. 3.

4 De valore, & efficacia ipsius. Cap. 4.

5 Quid, & quotuplex sit Indulgentia, & an differat à Iubileo, & de eius valore. Cap. 5.

6 Quæ requirantur ad validitatem Iubilei. Cap. 6.

Digitized by Google

PARS PRIMA

Caput Primum.

SVMMARIVM.

Iubileum quid quo ad quid nominis n. 1.
Vox Iobel quid significet, n. 2. & 5.
& à sit latina, vel greca, vel hebrea n. 1
Annus centesimus pro indulgentijs à quo institutus, n. 3.
A quo reductus sit ad quinquagesimum, & quare, n. 3.
& à quo ad vigesimumquintum, n: 9.
Iubileum, & Iubileus in quo differant, & quid significent, n. 4. 7. & 8.
Iubileus ãnus apud hebreos quid, n. 4. & 5.
Iubileus annus noster excellentior est Iubileo hebreorum, n. 6.
Iubileum, seu Iubileus annus quando primò fuit institutus, n. 4. & 7.
Iubileum in genere neutro, & genericè sumptum comprehendit tam ordinarium, quam extraordinarium, n. 9.

Caput I.



Rimò ergo iuxta pręmissa quæritur, quid sit Iubileum quo ad quid nominis, seu vocem, & nuncupationem ipsius.

1 Respondeo, Iubileum (vt communiter profertur) seu Iobeleum secundum Nauar. mox allegandũ, seu Iobileum secundum aliquos, cum non descendat à voce latina, nec greca, sed hebrea

2 Iobel, significare quinquagenariũ: quilibet enim quinquagesimus annus celebrabatur apud hebreos solemniter: in eo enim fiebàt temporalis remissio, libertatis restitutio, & alienatorum recuperatio.

3 Vnde merito annus centesimus institutus à Bonifacio 8. pro indulgentijs consequendis, vt in extrau. 1. inter com. de pęnit. & remiss. reductus fuit ad quinquagesimum à Clem. 6. vel propter figuras, & significationes gratiarum in nouo testamẽto completas secundum Card. allegat. per Nau. in coment. de iubil. not. 4. seu (& melius) propter similitudinem, & exemplum illius anni, vt eid. Nau. vbi sup. placet iux. mentem etiam extrau. Dudum d. tit. quę à DD. allegatur sub alio princ. nempe Vnigenitus. quæ reperitur inserta de verbo ad verbum in d. extrau. Dudum. ambę enim sunt eiusdem Pontificis Clem. 6.

4 Quia ergo reductus fuit ad quẽlibet quinquagesimum, dictus fuit Iubileus, hoc est annus iubileus, idest quinquagenarius ad similitudinem hebreorum, vt habetur in leuit. c. 25. cuius verba sunt hæc. Sanctificabisq; annũ quinquagesimum, & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ; ipse est enim Iubileus: reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisque redibit ad familiam pristinam, quia iubileus est, & quinquagesimus annus. hæc ibi.

5 Vox autem Iobel, à qua Iobeleum,

leum, uel Iobileum, seu Iubileū secundum com. varia significat, & est ęquiuoca; vnde annus quinquagęsimus apud hebreos iubileus annus dici poterat non solū quia quinquagesimus est, sed etiam quia remissiuus, eo quod remissionem induceret; initiatiuus, eo quod ad initium, & primum statum res, & personas reduceret; buccinus, eo quod per buccinas pręnunciaretur; & lætificatiuus (sed hoc vltimum non ex vi vocabuli, sed propter effectum) eo quod ea, quæ in eo anno inducebantur, maximè læta erant, vel lætificabant. ita Nau. vbi sup. not. 1. n. 9. & 10. ex qua doctrina conciliantur plures opiniones, quę asserunt Iubileum significare vel lętitiam, vel initium, vel buccinas, vel remissionem, quod est valdè notandum.

6 Et ex his habemus annum iubileum nostrum non modò similem, sed imò excellentiorem esse anno quinquagesimo hebreorū, & hæc aptantur non tantum ad nomen, sed imò ad rem ipsam, nā annus ille buccina, iste Apostolica voce prænunciatur; in illo labor colendi terram omittebatur, in hoc labor proprius excusatur propter laborem, & merita Christi, & Sanctorum; in illo debita temporaria, in hoc spiritualia condonantur; in illo libertas temporalis, in hoc spiritualis restituitur; in illo possessiones terrenæ alienatę recuperabantur, in hoc virtutes, & merita per peccatum perdita redintegrantur; in illo deniq; exules in patriā redibant, per hunc exules à Cęlo, quę patria nostra est, & in hac lacrimarum valle pererrantes habiles euadimus, quo ad eandem reducamur. ita Nau. not. 4. in fin. & magna ex parte hoc habetur in tex. Bullę Iubilei Vrb. 8. quę incipit, Omnes gentes, emanata de anno 1625. & tāgitur infra par. 4. cap. 7. n. 7. vbi n. 8. habetur, quare apud hebreos erat celeberrimus.

7 Nomen autem hoc pronunciatur modò in genere masculino, modo in neutro.

In masculino videtur stare potius adiectiuè, quam substātiuè ita vt subintelligatur annus, & sic primò appellatus fuit in di. const. Dudum. ibi Nos autē attendentes, quod ānus quinquagesimus in lege Mosaica iubileus, remissionis, & gaudij, sacrorumq; dierum numerus, quo lege fit remissio, censebatur, &c. nam in cōst. Bonif. de iubileo ne verbum quidem. Dicitur etiam Indulgentia iubilea, vt per Nau. in d. coment. pluribus locis, vndè clarè videtur adiectiuè poni.

8 In neutro autem substantiuè, & quando pronunciatur, tunc intelligitur significare indulgentiam, & remissionem cum priuilegijs adiunctis ad similitudinem

Digitized by Google

iubilei generis masculini, non quidem respectu quinquagesimi anni, sed respectu priuilegioru.

9 Et tunc genericè sumptum significat tam iubileum ordinarium, quod est hodie quolibet vigesimo quinto anno iux. vltimã reductionem factam per Paulum secundum, approbatam tamen, & executioni mãdatam per Sixtum quartum, vt in extrau. quẽadmodum d. tit. de pęnit. & remiss. quæ est 4. in ordine inter com. & infra par. 4.c.7.n.9. quã etiam extraordinarium, de quo hic agere intendo. & vide in hac ea par. cap. 3.

Et hæc dicta sint quo ad quid nominis.

Caput Secundum.

SVMMARIVM.

Iubileum quid sit quo ad quid rei, in princ.
An pro consecutione Iubilei & indulgentiæ sit necesse, vt quis sit in gratia, & in statu charitatis, n. 1.
Intellige resolutionem, vt in n. 2.
An Indulgentia prosit Cathecumenis n 3
An prosit Defunctis, & quomodo & quid sit Indulgentia per modum suffragij, n. 4. & 5. vbi vide, quare Indulgentię plenariæ pro defunctis iterentur, d. n. 5. in fi. remissiuè.
An Iubileum, seu indulgentia prosit pro peccatis commissis ante concessionem tantũ, an etiam postea, n. 6.
Indulgentia pro defunctis solum à S. P. concedi potest, non ab inferioribus, sub d. n. 5.

Caput II.

QVò verò ad rem pręter ea, quæ tacta sunt sup. cap. 1. n. 5. & 6. dico Iubileum generaliter sumptum definiri, seu describi posse, quod sit remissio pęnæ temporalis debitæ in foro interiori pro omnibus peccatis actualibus commissis, post Baptismum concessa à summo Pontifice homini viatori fideli, qui onus iniunctum pręstiterit, per applicationem thesauri Ecclesiæ. sic nouissimè post alios Alfons. de leo. in tractat. de offi. & pote. Confess. temp. iub. par. 1. n. 41. vbi nu. seqq. vide per te declarationem singulor. verbor. huius definitionis, ne ea transcribere videar.

Vnum tamen aduertas, quod hic Iubileum definitur respectu effectus, & sic videtur idẽ, quod Indulgentia, de qua tamen inf. c. 5. non respectu causæ, quia tunc Iubileum est idem, quod concessio indulgentiæ plenissimæ cum priuilegijs adiunctis.

1 Hic pro maiori intelligentia d. deffinitionis, vbi dicitur (homini viatori fideli) quæri potest an pro obtinendo iubileo, & indulgentia plenissima sit necesse, vt quis non solum sit viator, & fidelis, sed etiam quod sit iustus, vz. in gratia, & in statu charitatis. & Respondeo affirmatiuè: nam indulgentia non prodest homini existen-

Digitized by Google

existenti in peccato mortali non solum pro remissione pęnæ debitæ pro tali peccato, sed nec etiã pro remissione pęnæ alioruũ peccatorum mortalium alias remissorum iux. com. sent. D. Thomæ, Nugni, & alior. vt ref. & seq. Bonac. de sacram. disp: 6. q. 1. pũc. 2. sub n. 2. vbi reddit rationem, quia homo existens in peccato mortali indignus est huiusmodi remissione, cum sit inimicus Dei, & dignus ęterna pęna: impossibile autem videtur, hominem, quãdiu inimicus Dei est, & dignus æterna pęna, pęnę, scilt. temporarię, remissionem obtinere. Hęc ille, & optimè more suo. & idem concludit d. q. 1. punc. 5. n. 4. & egregiè, & solidè Nau. de iubil. not. 31. n. 29. & 33. vbi dicit expresśè, quod indulgentię nõ prosunt lethali peccato infectis nec quo ad remissionem pęnę, nec quo ad acquirendam gratiam; vnde quod dicitur in definitione de commissis post Baptismum, intellige, & adde, etiam dimissis, vt not. Bonac. vbi sup. d. punc. 1. n. 1.

2 Quod tamen intellige procedere in executione vltimi operis, quando scil. plura opera sunt adimplenda, tunc enim requiritur, vt quis sit in gratia, vt inf. copiosè par. 3. cap. 1. n. 9. & cap. 6. n. 5. & ad materiam adde, quę habentur infra par. 4. cap. 7. sub n. 18. & sub n. 20.

3 Præterea propter verba illa (homini fideli viatori) quęri potest vltra declarata per Alf. vbi sup. quid de Catechumenis: & licet casus sit disputabilis, & conclusio affirmatiua sit probabilis quo ad capacitatem per modum suffragij iux. opinionem Henriq. Cord. Nau. & Eman. Sà relat. per Bonac. ipse tamen etiam ex opinione Suarez, Nugn. & Coninc. ab eo relat. tenet, & resoluit contrarium de sacram. d. disput. 6. q. 1. punc. 5. sub n. 2. vbi inter alia dicit, solos baptizatos venire proprie appellatione fidelium.

4 Sed quid de fidelibus defunctis? dico, quod cum hoc non sit præsentis inspectionis, quia clarum est, indulgentiam per Bullã nostram non extendi ad defunctos, vt ex contextu videtur; nulla enim indulgentia extenditur ad defunctos, nisi concedens eã expresśè extendat secundum mentem D. Thomæ, quem ref. & seq. Nau. de iubil. not. 22. in princ. & est cõmunis, de hoc nõ erit vlterius inquirendum. benè tamen verum est, indulgentiam posse prodesse defunctis, sed per modum suffragij.

5 Ad hanc autem materiam est aduertendum, modum auxiliandi defunctis per pia opera esse triplicem. Primus est merendo per ea illis de congruo tantum auxilium liberationis. Secundus

Digitized by Google

dus impetrando precibus illud. Tertius satisfaciendo pro illis per pęnalium operum passionem. Indulgentia autem, quatenus indulgentia est, non est meritoria, neq; impetratoria, sed satisfactoria, vnde sequitur, quod suffragium (quod idem est, quod auxilium, seu adiutorium) indulgentię non est per modum suffragij meritorij, nec impetratorij, sed satisfactorij; quare indulgẽtia pro defunctis (quæ solum à summo P. potest concedi, non ab inferioribus) intelligitur semper per modum suffragij satisfactorij (cum per modum absolutionis, seu iuditij, vel auctoritatis solùm uiuentibus cõcedi possit) etiam si id non exprimeretur, cum Papa semper intelligatur concedere eo modo, quo potest. in sũmma indulgentia per modũ suffragij intelligitur, vt prosit eo modo, quo suffragium ecclesiasticum satisfactorium prodest, scilicet satisfaciendo pro debito eorum, & soluendo pęnas ab eis debitas, Christi, & Sanctorum satisfactionibus in ecclesiæ thesauro reconditis. Hoc tamen nõ conceditur, vt absolutio iudiciaria, sed vt compensatio extraiudiciaria. quę omnia benè nota pro hac materia indulgentiæ per modum suffragij. ita notabiliter ex Nau. de iubil. not. 22. per discursum, & præcipuè n. 4. 14. & 15.

Pro defunctis autem intellige, vt tactum est, quorum animę sunt in purgatorio, quia illę, quę sunt in Cælis, vel quæ in limbo, vel in inferno non comprehenduntur: non quæ in Cælis, quia non habent sordes, quibus expientur, nec vincula, quibus soluantur: non quæ in limbo, quia non habent charitatem, qua Christi membra fiant: neq; quę in inferno, quia ibi nulla est redemptio. vt ibidem per eundem Nau. n. 3. & ad prædicta adde Bonac. de sacram. disp. 6. q. 1. punc. 6. a n. 4. & infra qui clarius, & facilius procedit more suo.

Quomodo autem indulgentia plenaria prosit defunctis, & quare iterari soleant tales indulgentiæ, si plenaria prodest ad liberationem, vide per te eundem Bonac. d. punc. 6. a n. 14. & infra cum hæc non spectent ad præsentem materiam.

6 Et quia dictum est in definitione (pro omnibus peccatis commissis post Baptismum) hic quæri posset, an hoc intelligatur de commissis tantum ante concessionem indulgentiæ, seu iubilei, vel etiam post talem concessionẽ factam à summo Pontifice. Respondeo hoc intelligi de commissis tam antea, quam postea. ita Bonac. d. disp. 6. q. 1. punc. 1. n. 2. vbi subdit, quod aliàs sequeretur, quod infantes nati post concessionem indulgentiæ

perpe-

Digitized by Google

perpetuæ non obtinerent fructũ indulgentiæ postquam adoleuerint. ad hoc vide etiam Nau. de iubil. not. 34. n. 4. & Riginal. lib. 7. n. 139. & firmat idem Nauar. in man. cap. 12. sub. n. 8. in fin. & ad materiam adde, quę dicuntur infr. par. 4. cap. 7. n. 32.

CAPVT TERTIVM.

SVMMARIVM.

Iubileum diuiditur in ordinarium, & extraordinarium, in princ.
Iubileum ordinarium quid sit, n. 1.
Extraordinarium quid sit, n. 2.
Extraordinarium diuiditur in vniuersale, & particulare, & quid de præsenti iubileo, n. 5.
Intentio Auctoris in hoc opere, n. 4.
A quo Iubileum, & Indulgentia plenaria, seu etiam plenissima concedi possit. n. 6.
Penes S. P. est summa potestas concedendi indulgentias, sub eo n. 6.
A summo Pontifice cæteri accipiunt ordinariam, vel delegatam potestatem concedendi Indulgentias, sub eo n. 6.

Caput Tertium.

QVotuplex sit Iubileum. Et respondeo, quod est duplex, vt ex præmissis apparet, nempè ordinarium, & extraordinarium.

1 Iubileum ordinarium est idem, quod annus iubileus, qui celebratur quolibet quinquagesimo anno, vt per dicta supra cap. 1. n. 2. 3. & 5. & hodie reductus est ad quemlibet vigesimum quintum annum, vt n. 9. & latius infra par. 4. cap. 7. vbi de hoc.

2 Extraordinarium est, quod summi Pontifices concedunt infra annum, quando eis placet, & hoc pro duabus hebdomadibus, prout est id, de quo agimus iuxta Bullam S. D. N. Innocentij X. quæ incipit. Immensæ. cuius tenor inseritur inf. in 2. par. & solet esse duplex, videlicet vniuersale, vt est hoc, & dicitur inf. par. 2. §. vt autem, n. 9. Et particulare, vt interdum solet concedi pro tota Italia, & Insulis adiacentibus, vt fecit Vrbanus 8. sed hæc potius nuncupari potest Indulgentia plenaria in forma iubilei, de qua infra cap. 5. n. 31.

3 Ex his patet declaratio tituli huius operis, videl. De Iubileo extraordinario concesso à S. D. N. D. Innocentio X. Pontifice Maximo.

4 De hoc enim tractare intendo, non pro pręsenti occasione; quia complementum huius operis erit post iubileum expletum; sed pro futuris similibus, cum in huiusmodi Iubileis extraordinarijs nulla, aut modica differentia appareat in Bullis, & contentis in eis.

5 Dixi ergo (extraordinario) intelligendo de hoc, & de omni alio simili; & quia hoc est vniuersale, vt dictum est, ideo de vniuersali

versali erit intelligendum, prout dicitur par. 4. c. 6.

6 Dixi concesso ab Innocentio X. summo Pontifice, quem Deus diù seruet incolumem ad vniuersalis Ecclesię beneficium. Iubileum siquidem vniuersale, prout etiam particulare, & indulgentiæ plenariæ, siuè plenissimæ à nullo alio concedi possunt, quam à summo Pontifice tanquam à Vicario Christi, penes quem est de hoc summa potestas, a quo alij Inferiores ordinariam, vel delegatam sibi concedendi potestatem accipiunt: quæ est catholica conclusio per tex. in extrau. 1. & 2. de pęnit. & remiss. & c. cum ex eo. in fi. eo. tit. & tradit Nau. in coment. de iubil. not. 32. n. 11.

CAPVT QVARTVM.

SVMMARIVM.

De efficacia, & effectibus huius Iubilei n. 1.

Plenissimam Indulgentiam hoc Iubileum continet, n. 2.

& declaratur, n. 3.

Peccata remittuntur per Sacramenta nō per Iubileum, scilicet quo ad culpam, eod. n. 3.

Quo verò ad pęnam, per Iubileum remittuntur, & de qua pœna intelligendum, n. 4. 5. & 6.

De intelligentia loci 2. Machab. cap. 12. ibi, Sancta ergo, & salubris, &c. sub eo. n. 4.

Per Baptismum remittitur tota pęna æterna vna cum peccato originali, & culpa actuali, si qua, &c. sub n. 5.

Et quid per sacramentum pęnitentię, ibid.

Quid autem de pęnitentijs à Confessario iniunctis, an videlicet tolluntur per iubileum, vel indulgentiam plenariam, n. 7. & seqq.

Satisfactio sacramentalis pertinet ad integritatem sacramenti pęnitentiæ, & est de iure diuino, d. n. 7.

Pęnitentiæ iniunctæ à Confessario debent esse non solum in medicinam sed etiam in castigationem, & vindictam scelerum, n. 8.

Pęnitentiæ, seu satisfactiones iniunctæ magnopere à peccato coercent, eod. n. 8

Sacerdos Confessarius habet auctoritatē non solum soluendi, sed etiam ligandi, quod intelligitur de impositione pęnitentiæ, n. 9.

Pęnitentiæ sacramentales non possunt tolli, vel commutari, nisi in sacramēto pęnitentiæ, n. 10. remissiuè.

In sacramentali satisfactione duo considerantur scilicet effectus, vz. remissio pęnarum; & obligatio adimplendi satisfactionem, n. 11.

Franciscus Maria 2. Vrbini Dux sextus, &c. sub eo. n. 11.

An sit inconueniens, vt remittatur tota pęna, & adhuc restet obligatio adimplendi pęnitentiam, n. 12.

Indulgentia de iniunctis pęnitentijs quomodo intelligatur, n. 13.

Verba (absoluo te) quomodo intelligantur, si quis confiteatur peccatum alias absolutum tam coram Deo tantum, quam etiam coram Ecclesia, n. 14. remissiuè.

Quid dicendum de eo, qui decedit cum Indulgentia plenaria ante implementum pęnitentiæ sacramentalis, n. 15.

P. Raphael Auersa laudatur, sub n. 12. & 13.

Cap. 4.

Digitized by Google

Capvt IV.

HIC iuxta præmissa agendum est de valore, & efficacia Iubilei: Vnde queri potest, quos effectus pariat, siue cuius sit valoris, & efficaciæ iubileum nostrum.

1 Et respondeo, præsens Iubileum duos effectus parere, seu in se continere duo: nempe plenissimam remissionem peccatorum (quod idem est, quod indulgentia plenissima) & priuilegium eligendi Confessarium cum facultatibus, de quibus in Bulla vz. absoluendi ab omnibus censuris, & à casibus reseruatis, & commutandi vota.

2 Dixi plenissimam remissionem peccatorum, quia ita habetur in Litteris Apostolicis Innocentij X. seu Bulla §. quæ omnia, ibi plenissimam peccatorum indulgentiam, & remissionem. vt infra par. 2. §. quæ omnia not. 3.

3 Quomodo autem hęc verba intelligantur, aduertendum est, quod remissio peccatorum aut dicitur respectu culpæ, aut respectu pęnæ. Si respectu culpæ, dic, quod peccata remittuntur per sacramenta, non per iubileum, nec indulgentias, vt est notissimum, & tradit Bonac. de sacram. disp. 6. quest. 1. punc. 1. n. 1. quod intelligo de mortalibus, cum venialia etiam aliter remittantur, & vide infra c. 5. n. 20. & 21.

4 Si autem respectu pęnæ, tunc est verum, quod per iubileum, & indulgentiam remittuntur, vnde merito glo. in extrau. 1. de pęnit. & remiss. in ver. peccatorum in duobus locis dicit, idest pęnarum pro peccatis debitis, & ita intellige illud 2. Macab. cap. 12. ibi Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur, idest à pęnis pro peccatis debitis liberentur, iuxta glo. pręd. & habetur supra in definitione iubilei cap. 2. in princ. ibi. remissio pęnæ, &c.

5 Hoc autem intellige de pęna temporali, vt ibi habetur in definitione, non de æterna, quæ per Baptismum tota remittitur vnà cum peccato originali, & culpa actuali, si qua subest; & per sacramentum Pęnitentiæ tota culpa cum commutatione pęnæ æternæ in temporalem luendam hic, vel in purgatorio, vt post glo. in ver. & confessis. in d. extrau. 1. not. & tradit Nau. in d. coment. de iubil. not. 16. n. 7. & Alf. d. tract. de offi. & pote. Confess. par. 1. in quæst. prohem. n. 44. & Bonac. de sacram. disp. 6 q. 1. par. 1. sub. n. 1. & vide aliqua infra cap. seq. n. 17.

6 Illam ergo pęnam temporalem luendam hic, vel in purgatorio, quantacunque sit, iubileum remittit, & ab ea penitus liberat eum, qui validè iubileum lucratur.

Digitized by Google

tur. Ad materiam vide, quę traduntur infra cap. seq. n. 13. & 14

7 Sed quia ibi dicitur, quod indulgentia plenaria, seu plenissima ritè, & rectè acquisita reducit ad innocentiam baptismalem, & tangitur infra cap. seq. n. 13. Quæri potest, an remittat in specie pęnitentias sacramentales, ita vt qui lucratur iubileum, siue indulgentiam plenariam, vel plenissimam, satisfaciat, & sit omninò solutus à persoluenda pęnitētia, seu satisfactione sibi à Confessario imposita. Hæc est quæstio magni momenti. Et pro resolutione præmitto, quod satisfactio sacramentalis pertinet ad integritatem sacramenti pęnitentiæ, estq; de iure diuino ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 13. & can. 4.

8 Item præmitto, quod sacramētales satisfactiones, seu pęnitentiæ a sacerdote iniunctæ non solum sunt ad remissionem pęnæ temporalis ob vtilitatem pęnitentis; sed etiam ob vindictam, & punitionem scelerum in hac vita ad satisfaciendum Diuinæ iustitiæ, & quasi ad resarciendū diuinum honorem lęsum, & consequenter ad seruandam iudicij æquitatem, vt ex eod. Conc. d. sess. 14. cap. 8. habetur ibi, Habeant præ oculis (intelligit de Confessarijs) vt satisfactio, quā imponunt, non sit tantum ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ob præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Et re vera hæ pęnitentiæ, seu satisfactiones magnopere à peccato reuocant, & quasi freno quodam coercēt, cautioresq; & vigilantiores in futurum pęnitentes efficiunt. vt ex eod. Conc. ibi habetur.

9 Item præmitto, Sacerdotem Confessarium habere auctoritatem non solum soluendi, sed etiam ligandi, quod respicit impositionem pęnitentiæ, vt eod. Concil. vbi supra d. cap. 8. & can. 15.

10 Item præmitto pęnitentiam sacramentalem non posse extra sacramentum pænitentiæ tolli, vel commutari, vt firmatur infra par. 4. cap. 5. sub n. 138. vers. quod autem.

11 His præmissis dico, in hoc duo esse consideranda, videlicet effectum ipsius satisfactionis, scilicet remissionem temporalem pęnæ ex peccato absoluto relictæ: & obligationem adimplendi talem satisfactionem iniunctam.

Si de primo respondeo affirmatiuè, nempe pęnitentem per iubileum, seu indulgentiam plenariam satisfecisse toti pęnæ debitæ, alias non esset plenaria, & sic destrueretur totum id, quod dicitur de effectu, seu fructu indulgentiæ plenariæ, & iubilei.

Si de secundo, negatiuè, nam nec per indulgentias, nec per alia

reme-

Digitized by Google

remedia compensari, aut tolli potest obligatio adimplendi satisfactionem sacramentalem, ita vt homo eximatur à debito eam exequendi, vt doctè firmat in suis tractatibus Theologicis, & moralibus Reuerendissimus P. Raphael Auersa modo secunda vice Præpositus Generalis, & splendor, ac decus venerbilium Patrum Clericorum Regulariũ minorum, qui Vrbaniæ verbo, & exemplo docent, & ædificant, meritoq; fruuntur celebri Biblioteca Ducali (delitijs quidem, & eiusdem Religionis, & totius Ciuitatis) eisdem Patribus piè relicta à serenissimo, & nunquam satis laudato Principe Francisco Maria secundo Vrbini Duce sexto, & vltimo, fęlicissimæ memoriæ, qui omnium virtutum genere, & præcipuè iustitiæ, & caritatis singulariter refulsit, vbi tandem in vltima senectute spiritum Deo reddidit, & in Ecclesia SS. Crucifixi apud eosdem Patres sepultus fuit, cuius iugis memoria in benedictione erit. Vide ad præmissa eundem P. Auers. de sacram. pęnit. q. 13. sect. 9. vers. dicendum tamen. vbi per longum discursum, & solidas probationes, & fundamenta firmat hanc sententiam, quicquid nonnulli contrarium sentiant: & etiam respondet ad obiecta, cui omnino adhereo tam per rationes ab eo allatas, quam per præmissa proximè supra, quę valde faciunt pro hac parte.

12 Nec inconuenit dicere, remittitur tota pęna, sed remanet obligatio satisfaciendi, videtur enim repugnare sed non est sic.

Nam à simili, etiam qui concipit contritionẽ suorũ peccatorũ, habet à Deo remissionem, & tamen tenetur confiteri, & non implicat, quia debet adhuc adimplere præceptum; sic & in hoc casu licet habeat remissionem omnium pęnarum pro peccatis debitarum, adhuc tamen tenetur adimplere præceptum Confessarij, qui vice Christi potuit illum obligare, vt tangitur ea. secti. 9. vers. quarto.

13 Nec etiam absurdum videtur, quod interdum Pontifices concedant indulgentias de iniunctis pęnitentijs, quia id intelligitur vel de pęna, quæ fuisset illis pęnitentijs expianda, non autem de obligatione illas adimplendi; vel potius de pęnitentijs canonicis, quæ olim erant ab Ecclesia taxatæ, & sic tantam pęnam purgatorij relaxari, quanta per illas pęnitentias fuisset redimenda, vt tangit idem Auersa in fin. d. sect. 9. Alia ad hanc materiam optimè discussam vide per te apud eundem Auctorem, qui de more suo doctè, & subtilitèr scripsit.

14 Si quis autem quærat, quomodo intelligantur verba (ab-

ſoluo te) caſu quo iam pęnitens ſit abſolutus, non dico coram Deo tantum, ſed etiam coram Eccleſia, puta ſi quis confiteatur peccatum alias confeſſum, & abſolutum, vide eundem Auerſ. vbi ſup. q. 14. ſect. 2. per tot.

15 Ex his ergo videtur ſequi, quod ſi quis decedat cum indulgentia plenaria, ſi tamen non ſatisfecerit pęnitentiæ iniunctæ, non conſequatur effectum indulgentiæ, & ſic obnoxius ſit pęnis purgatorij pro pęnitentijs nō completis. Reſpondeo Aut iſte potuit adimplere, & non adimpleuit: aut nullo modo potuit. Primo caſu eſt verum, quod obijcitur, quia decedit cum onere, & culpa ſimul. Secundo autem videtur dicendum contrarium, ſi ſaltem habuit animum adimplēdi, ſi vixiſſet, nam per ſe non ſtetit, quia forte ſtatim poſt conſecutionem indulgentię deceſſit, & non fuit in mora adimplendi, puta quia erat ei præfixus terminus in futurum, vt fieri ſolet in pęnitentijs medicinalibus, & præſeruatiuis, nam à ſimili idem eſt de contrito, ſi decedat ſine confeſſione, ſi tamen per ſe non ſtet ſufficit enim contritio cum voto ſacramenti, vt notiſſimum eſt, & habetur in Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.

Quod autem Pęnitens ex aliqua cauſa excuſetur ab adimplēda pęnitentia; agit optumè idem Auers. d. q. 13. ſect. 6. quo caſu clarum eſt, non adimplentem non peccare, quia per ſe non ſtat.

De vtilitate autem pęnitentię ſacramentalis, & effectu, vide quæ notantur infra cap. ſeq. ſub. n. 8. verſ. quantum.

CAPVT QVINTVM.

SVMMARIVM.

Indulgentia quid ſit, n. 1.
eſt duplex, partialis, & totalis, n. 2.
Partialis dicitur etiam particularis, ſiue temporalis, ibid.
Et quęnam dicatur Indulgentia partialis, ibid. vbi dantur exempla Indulgentiæ carenæ quadragenæ, ſeptenæ, & tertiæ, vel quartæ partis peccatorum.
Totalis Indulgentia, quæ dicatur, & quis ſit eius valor, & efficacia, n. 3. & 13
Dicitur etiam plenaria, vel pleniſſima ibid.
Indulgentia carena, quæ ſit, n. 4.
Quadragena quæ ſit, n. 5. & quæ ſeptena, ibid.
Quomodo intelligatur indulgentia 40. dierum, & ſimiles, n. 6. 7. & 11.
Amplior eſt Indulgentia tot annorum de iniunctis, vel alias debitis pænitentijs quam totidem annorum purgatorij, n. 8. vbi redditur ratio.
Vtiliſſima eſt pænitentia ſacramentalis, ſub eo. n. 8. vbi not. effectum ſingularem.
Vtiliſſimum, & tutiſſimum eſt iniungere, & acceptare grandes pænitentias in hac vita peragendas, ibid.
Indulgentia tertiæ vel quartæ partis peccatorum quomodo intelligatur, n. 9.
Indulgentia ſeptem annorum, & totidem quadragenarum, ſeu quarantenarum

Digitized by Google

Caput V.

HIC videndum erit, quid sit Indulgentia, & quotuplex, & an differat à Iubileo, iuxta ordinem, de qua supra in principio.

1 Et primo dico, quod Indulgentia est relaxatio pęnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimissis concessa homini existenti in gratia à Prælato per applicationem thesauri Ecclesiastici. ita Bonac. de sacram. disput. 6. q. 1. p. 1. n. 1. post Cordub. Sot. & alios, quos allegat, & sequitur, vbi etiam declarat verba dictæ definitionis,

Digitized by Google

nis, quæ quisque per se ipsum videre potest.

2 Quotuplex autem sit Indulgentia. Respondeo, quod est duplex, partialis, & totalis. Partialis, seù particularis, siuè temporalis, vt Doct. tangunt, est quæ respicit partem, & non totum, vt sunt Indulgentiæ carenæ, quadragenæ, septenæ, & similes. Item tertiæ partis peccatorum, vel quartæ, &c.

3 Totalis autem, seù plenaria, vel plenissima est, quæ respicit totum, & conceditur de omnibus pœnis debitis ob peccata commissa. Videamus de singulis. & primò quo ad partiales.

4 Quæritur ergò primo, quæ sit Indulgentia carena, & Respondeo, quod est ea, quæ concedebatur peccatori, cui propter peccata iuxtà Canones erat iniuncta pœnitentia quadraginta dierum in pane, & aqua, cum septem annis sequentibus, vnde qui carenam obtinebat, fruebatur remissione tot pęnarum, quot fuissent sibi remissæ, si pænitentiam egisset in pane, & aqua quadraginta diebus cum septem annis sequentibus: & sic dicebatur carena à carendo, quia dabatur ijs, qui carebant cibo, & potu ordinario iux. trad. per Bonac. vbi sup. punc. 2. sub n. 1.

5 Quæ autem sit Indulgentia quadragena, dic quod est ea, qua remittitur pœna respondens pænitentię quadraginta dierum, ac si pęnitentia 40 dierum facta fuisset iux. canones pęnitentiales: & ex his etiam patet, quæ sit Indulgentia septena, & similes iux. Bonac. vbi supra.

In hoc tamen puto aduertendum, quod indulgentia septena, & quadragena non videtur differre in significatu, videlicèt, quod sicut quadragena significat 40. dies, ità septena septem dies, prout etiam quinquagena, sexagena, & similes: ea tamen, quæ denotat septem annos, debet potiùs dici septennis, quam septena.

6 Valde autem notandum puto pro intelligentia verborum, quibus Summi Pontifices vtuntur in concessione Indulgentiarum particulariũ, quod indulgẽtia puta quadraginta dierum, vel quadragena, & sic de alijs intelligitur respectu pęnitentiæ iniunctæ, vel iniungendæ, si simpliciter sic concedatur, imò & de pęna purgatorij, quæ per talem pœnitentiam dilui potuisset, quod intelligo, si talis indulgentia est applicatiua pro defunctis. Si verò dicatur de iniũctis, tunc non extenditur ad iniungendas, nisi clausula esset cęterata iuxt. Nau. mox allegandum.

7 Est ergò sensus, vt homo per indulgentiam tot annorum consequatur tantam pænarum remissionem, quantam obtinuisset, si

ſet, ſi tanto tempore pęnitentias iuxta ſacros Canones egiſſet: non autem eſt ſenſus, vt tanta remittatur pęna, quanta eſſet perſoluenda in purgatorio: quod eſt valde notandum, maximè pro iis, qui hos terminos parum intelligunt: non enim Bullæ dicunt relaxamus tot annos pęnæ, ſed pęnitentiæ, quæ propriè eſt ea, quæ fit, vel quæ fieri deberet in hoc ſæculo: & ſic per talem indulgentiam ita ſatisfacit, vt tantum eſt, ac ſi talem pęnitentiam egiſſet. ex Bonac. vbi ſupra d. punct. 2. n. 2. & ante eum Nau. de iubil. not. 11. per totum. Ad hanc tamen materiam vide quæ traduntur ſupra cap. præced. à n. 7. vſque ad fin.

8 Et ibi Nau. n. 22. notat, quod amplior eſt indulgentia tot annorum de iniunctis, vel alias debitis pęnitentijs, ſeu ſimpliciter conceſſa, quam indulgentia totidem annorum purgatorij. Prima enim reſpicit pęnitentias huius ſæculi, quæ ſunt longe maiores, videlicet extenſiuè, vt infra n. 12. & quia voluntariè; cum tamen pęnitentia in purgatorio facienda ſit coacta; vnde infert n. 23. vtiliſſimum, & tutiſſimum eſſe iniungere, & acceptare grādes, & multorum dierum, & annorum pęnitentias in hac vita peragendas, & non eſſe veri amici parcas imponere pœnitentias. Vide ibi, & bene nota contra Confeſſarios illos, qui modicas imponunt, & contra nonnullos Pœnitentes, qui nec modicas acceptant.

Quantam autem vtilitatem afferat pęnitentia ſacramentalis ex eo conijce, quod etiam adimpleta in ſtatu peccati mortalis habet effectum ſuum etiam quoad remiſſionem pęnæ reſpondentis eidem, ſi non tunc, ſaltem quando Pœnitens redit in gratiam, quia licet opera facta extra ſtatum gratiæ ſint opera mortua, nec vnquam reuiuiſcant; pęnitentia tamen ſacramentalis reuiuiſcit ſi non ex opere operantis, ſaltem ex opere operato, cū ſit pars ſacramenti: quod eſt valde notandum. ita egregiè de more docet Auerſ. poſt DD. quos allegat, de ſacram. pœnit. q. 14. ſect. 8. per tot. quod menti tene, & pœnitentias ſacramentales libenter amplectere, dum indiſcretæ pęnitentiæ non imponuntur.

9 Præterea Indulgentia tertiæ, vel quartæ partis peccatorum eſt limitata, & partialis, & tunc intelligitur de pœna, ſiue pęnitentia debita pro tanta parte peccatorum mortalium, & venialium, quanta aſſignatur in indulgentia ſecundum Tolet. de inſtruct. Sacerd. lib. 6. cap. 24. n. 3.

10 Sed quid de Indulgentia ſeptem annorum, & totidem quadragenarum in forma Eccleſiæ conſu-

Digitized by Google

consueta, vel simili? Dic, quod talis indulgentia quadragenarũ, seu quarantenarum intelligitur esse dierum 40. quæ tamen non computatur extra tempus annorum taxatorum, puta septem, centum, mille, bis mille, vel quis simile: & est sciendum, quod olim pro peccato infligebatur secundum Canones pœna septem, vel plurium annorum, & in his imponebantur certis diebus pœnitentiæ strictiores, & hæ intelligebantur quarantenæ, vel quadragenæ; & sic per talem indulgentiam remittuntur tot pęnæ, seu pœnitentiæ, quot remitterentur, si actualiter tales pœnitentiæ fierent, vel factæ fuissent. ex eo. Tolet. vbi supra n. 5. & hæc videtur forma Ecclesiæ consueta.

11 In summa tot dies de vera Indulgentia puto intelligi de tot diebus, quibus vel secundum canones, vel secundum Dei iustitiam esset pœnitentia persoluenda, & consequenter pęna purgatorij ei respondens. ex Tolet. pariter vbi supra n. 4. & cap. 23. num. 7.

12 Et quia supra dedi exemplum mille annorum, vel bis mille, &c. aduerte ne per hoc intelligas etiam in purgatorio animas debere persoluere pęnas tot annorum, quia in purgatorio pœna est maior intensiuè; in hoc sæculo maior extensiuè; vnde non mirum, si conceduntur indulgentiæ tot annorum, quia habetur relatio ad tempus huius sæculi; pœnis autem huius sæculi extensiuè respondent pœnæ Purgatorij intensiue. vide Tolet. d. lib. 6. cap. 23. n. 2. & quod tangit Bonac. d. q. 1. punc. 2. sub n. 3.

13 Totalis autem indulgentia, quæ & plenaria, siuè plenissima dicitur, est ea, quæ comprehendit omnes pœnitentias, siue pœnas hic, vel in purgatorio luendas: & hæc per fidelem ritè, & rectè aquisita restituit ad innocentiam baptismalem, vt Nau. tangit d. not. 11. sub n. 7. vnde si talis accepta indulgentia plenaria moreretur, eius anima statim in Cœlum euolaret. Bonac. vbi supra punc. 7. n. 2. prout fit, quando cum gratia baptismali, antequam vllum aliud peccatum superueniat, quis decedit. Nau. not. 16. sub n. 7. & hic est valor, & efficacia indulgentiæ plenarię, seù plenissimæ. Hic tamen considera, quæ supra firmaui cap. præced. n. 7. & seqq.

An autem effectus indulgentiæ huiusmodi impediatur per peccatum veniale non dimissum, vide infra par. 3. cap. 6. n. 9. & 10.

14 Præterea Indulgentia Plenaria diuiditur in plenariam simpliciter, & plenariam respectiuè, vt tangit Bonac. d. q. 1. punc. 2. sub n. 1. sed illa distinctio non videtur vera, quia plenaria respectu

Digitized by Google

pectu certi generis, verbi gratia, de pęnitentijs iniunctis, vt ipse dicit, non potest propriè dici plenaria, cuius natura est, vt totum remittat, vt supra firmatū est, nisi dicamus, Bonacinam diuidere indulgentiam plenariam ad distinctionem temporalis, vt ibi habetur, de qua temporali iam supra firmatum est, & posita inter partiales indulgentias.

15 Vlterius solet diuidi Indulgentia plenaria in personalem, localem, & realem, vt hæc concedi solet granis, globulis, & imaginibus; quæ tamen distinctio etiam competit indulgentiæ partiali, vt tangit Alf. d. tract. de off. & potest. Confess. par. 1. q. 6. n. 225. quæ dicta sint ex abundanti, cum hic agendum sit tantum de plenarijs, seu plenissimis virtute iubilei.

16 Quatenus autem interdum exprimitur in concessione huiusmodi plenariæ, siuè plenissimæ, vt sit à culpa, & pęna, hoc videtur impropriè dici, & habetur à multis pro errore scribentium, vel euulgantium huiusmodi indulgentias, vt tangit Alf. d. par. 1. in quæst. prohem. sub n. 12.

17 Vnde pro clariori dicendorum notitia est notandum, quod in peccato mortali duo sunt, culpa, & reatus: culpa, quæ etiam macula dicitur, nunquam remittitur per indulgentiam, sed per sacramentum pœnitentię re ipsa, vel in voto, seù proposito susceptum, & est de fide, vt in Conc. Trid. sess. 6. cap. 14. reatus autem, quæ est obligatio ad pęnam æternam, remittitur quidem quo ad obligationem æternæ pœnæ luendæ, sed tamen adhuc restat aliqua pęna temporalis, vndè melius dicitur hoc casu commutari æternam in temporalem luendam, vel hic, vel in Purgatorio, in quo animæ defunctorum, qui cum gratia Christi gratum faciente decesserunt, à reliquijs peccatorum purgantur, quo nitidè ad nitidissimam Dei præsentiam, & visionem admittantur. Nau. de iubil. not. 16. n. 6.

18 Et quatenus Nau. dicit, à reliquiis peccatorum, intellige de reatu, & obligatione luendę pœnæ temporalis, quæ post remissionem culpæ restat.

19 Gratia enim pœnitentialis, vt dicit Nau. vbi sup. sub n. 7. hoc est, quæ datur per Pœnitentiæ Sacramentum, solùm condonat maculam, seù culpam peccati mortiferi, & pœnam æternam ei debitam; & maculam impropriam peccati venialis, cum pœna temporali ei debita, & aliquantam partem pœnæ temporariæ peccato mortifero debitæ, non autem totam, saltem vt plurimum: mutat enim, vt subdit, pœnam æternam in temporalem in hoc, vel alio sæculo luendam. Hæc ibi, & est communis sententia, &

Digitized by Google

tia, & de fide, vt ex Conc. Trid. sess. 6. can. 13. & vide latè Bonac. de Sacram. disp. 5. q. 6. pun. 4. per totum.

20 Vndè quando Indulgentia plenaria à culpa, & pœna conceditur, non intelligitur, quod per solam indulgentiam remittatur culpa mortalis, ac pæna æterna quia hoc non potest indulgentia, cum ipsa indulgentia præsuponat, non autem infundat gratiam, per cuius infusionem remittitur culpa mortalis, vt tradit Alf. vbi sup. nu. 11. vbi etiam subdit idem de culpa veniali secundum communem, in quo tamen addit hæc verba. Et licèt ad illam remittēdam non requiratur gratia, tamen non fit, nisi ex opere operato; quod potest intelligi, vt non requiratur ad remissionem venialium de necessitate noua gratia, intelligendo de actuali, seù de prima gratia, tamen hoc non fit sine gratia habituali, vt disputat, & concludit Bonac. d. disp. 5. q. 6. sect. 2. punc. 4. n. 5. vbi n. 6. subdit, ad remissionem venialium non requiri quidem formaliter gratiam, quæ expellat peccata venialia, quamuis in hac vita remissio venialium nunquam fiat sine infusione, vel augumento gratiæ. quam puto optimam resolutionem; & subdit rationem, quam vide per te, cum hic propriè agamus de indulgentijs. Et his adde doctiss. Auers. post hæc scripta visum. de sacram. pænit. q. 4. sect. 4. vbi in fi. concludit, non per se; & formalitèr requiri nouam infusionem gratiæ in homine iusto ad remissionem venialium, sed bene de facto semper per concomitantiam cum illa coniungi, nam actus, quo venialia remittuntur, debet esse bonus, & supernaturalis, ac proinde etiam meritorius, ergo concomitanter secum fert etiam augumentum gratiæ.

21 Sed esto quod per verba illa (à culpa, & pæna) non possit intelligi de mortalibus, vt firmatum est, quid de venialibus? & Respondeo quod potest intelligi de venialibus sed indirectè quatenus ingrediendo Ecclesiam, vel similia faciendo iuxta ea, quę ordinantur in Bulla iubilei, vel sumendo aquam benedictam, vel faciendo actum aliquem charitatis, per quem directè fit remissio venialium, dici potest per indirectum id operari indulgentiam, vt innuit Gratia, relatum ab Alfons. p. 1. sub. n. 12. In hoc autem puncto, an directè, vel indirectè Indulgentia remittat venialia, vide, & bene considera ea, quæ tradit Card. Tolet. lib. 6. instr. Sacerd. cap. 24. n. 5. ad quem me remitto.

22 Vel etiam dici potest per illa verba intelligi concessam facultatem eligendi Confessarium, vt absol-

absoluat à peccatis quibuscunq; & sic etiam comprehendantur mortalia secundum Valent. quẽ citat, & sequitur idem Bonac. d. disp. 6. q. 1. punc. 1. sub. n. 1. Seu dic, liberari à culpa per contritionem, vel Confessionem, quæ prærequiritur secundum opinionem Sylu. ver. Indulgentia, n. 24 pariter allegatum per Alfons. d. par. 1. sub n. 12. vbi tandem ait, Indulgentiam plenariam vulgariter dici de culpa, & pęna, sed impropriè, nam culpa ibi remittitur à Deo per contritionem, quæ præexigitur, & pęna à Papa per Indulgentiam, quæ subsequitur. & tradit etiam Nau. de iubil. not. 10. num. 16. & 17.

23 Quicquid autem sit, satis clarum est, talia verba non debere inferre scrupulum quo ad Indulgentiam plenariam, cum ea non importent aliquid vltra indulgentiam plenariam secundum Caiet. ver. excommunicatio. c. 64. in fin.

24 Indulgentia autem quo ad nomen multa significat: interdum enim significat gratiam, priuilegium, dispensationem: interdum remissionem pęnæ in foro exteriori, aliquando mollem permissionem, & educationem: item indulgere interdum est idem, quod dare operam, & fere in malam partem; item indulgere pro ignoscere, & latius secundum Nau. de iubil. not. 20 n. 2. & seqq.

25 In casu autem modo Indulgentia idem est, quod remissio pęnæ in foro pęnitentiali, & sic eam in hac subiecta materia dicere possumus esse liberationem à pęna temporali pro peccato mortali condonato, vel pro veniali sustinenda. & vide eundem vbi supra n. 4. vt habetur etiam in eius definitione supra n. 1. iuxta quam iunctis ijs, quæ habentur n. 20. & 21. intelligo, quod hic dicitur de veniali.

26 Et quia hic de Indulgentia agitur, posset quæri, an indulgentia respiciat gratiam, vel meritum, videlicet an sit actus gratiæ, an actus iustitiæ. Et respondeo, quod respicit gratiam, alias non esset indulgentia: si autem respiceret meritum, scilicet proprium, tunc esset actus iustitiæ: exempli gratia, Si quis offendisset Principem ita vt propter huiusmodi offensam mereretur pęnam mutilationis manus vel pedis; & ex aduerso fieret Principi oblatio duorum, vel trium millium aureorum, & per Principem acceptaretur, & sic à tali pęna reus liberaretur, hæc liberatio esset potius redemptio, seu quædam commutatio dictæ pęnæ, & sic actus iustitiæ, quam remissio, quæ est actus gratię.

27 Si autem talis pęna liberaliter condonaretur, vel pro vitanda pę-

Digitized by Google

da pęna aliquid leue imponeretur, talis liberatio remiſſio vocaretur,& hæc meritò diceretur indulgentia,in qua ſemper aliquid leue imponitur, & ſic eſt actus gratiæ principaliter, & quo ad nos.

28 Benè tamen verum eſt, quod licet non reſpiciat meritum proprium, reſpicit tamen meritum alienum, ideſt Chriſti, imò indulgentiæ ſuper illo fundantur, & ex illo ſumuntur; Paſſio namque Chriſti exceſſiua fuit, nam gutta tantum ſanguinis Chriſti ſuffeciſſet pro redemptione mūdi, & ſic quo ad Chriſtum dicitur redemptio,& eſt potius actus iuſtitiæ, quam gratiæ: Hunc tamen exceſſum noluit Chriſtus fruſtratorium eſſe, & nobis nihil deſeruire, ſed voluit, vt eſſet theſaurus Eccleſiæ per ſuum Vicarium diſpenſandum loco, &, tempore; quod fit, cùm indulgentia conceditur: ita notabiliter ex glo. magna. in extrau. 1. inter com. de pænit. & remiſſ. verſ. quantum eſt, &c.

29. An autem Indulgentia differat à Iubileo, vel idem ſit cum eo. Reſp. quod aut loquimur de indulgentia partiali,ſeù particulari: aut de plenaria, ſeù pleniſſima. Si de partiali puta de iniunctis pęnitentijs, ſeù centum annorum, ſexaginta dierum, tertię, vel quartæ partis peccatorum, vel ſimili, de quibus ſupra hoc eo. cap. ſuis locis, clarum eſt, non eſſe idem cum iubileo. Si verò loquimur de indulgentia plenaria, ſeù pleniſſima, dico quod quo ad remiſſionem pęnarum, ſiuè pœnitentiarum idem eſt cum iubileo: ſed reſpectu priuilegiorum adiunctorum iubileum eſt quid amplius, nam ſolet habere adiunctam facultatem eligendi Confeſſarium cum auctoritate abſoluendi à cenſuris, & caſibus reſeruatis, & commutandi vota, quod non eſt in ſimplici indulgentia, etiam pleniſſima, vt per Doct. communiter teſte Alf. de Leo. in præall. q. prohem n. 6. & poſt Graff. Tolet. Valent. Bellarm. & alios tenet, & ſequitur Bonac. de Sacram. diſp. 6. q. 1. punc. 2. n. 5.


30 An verò differentia ſit inter indulgentiam plenam, ſeù plenariam, & pleniorem,& pleniſſimã. Dic breuitèr, quod non. Dicitur enim pleniſſima amplificationis gratia, & quælibet ſignificat remiſſionem omnium pœnarum, quibus quis eſt obligatus pro peccatis ſiue confeſſis, ſiuè oblitis,& ſiuè mortalibus, ſiue venialibus. ità idem Alf. vbi ſupra n. 8. & adde Bonac. d. punct. 2. n. 5. contra Nau. in d. coment. not. 9. per totum, vbi re vera ſolidis fundamentis tractat hanc materiam, & dicit, conceſſionem indulgentiarum eſſe ſtricti iuris, & ſtrictè interpretandum: licèt Bo-

nac. in

Digitized by Google

nac. in d. disp. 6. q. 1. punct. 7. n. 4. dicat, concessionem indulgentiæ, quando constat de potestate Concedentis, esse latè interpretandum, prout etiam idem Nau. alio in loco, nempè not. 34 n. 4. distinguendo, vt ibi, qui videtur recedere à prima opinione: sed quicquid sit, & quid tenendum tàm circa differentiam prędictorum verborum, quam circa interpretationem latam, vel strictam, non videtur pręsentis inspectionis, nec circa hoc modo puto insistendum, cum simus in claris, stante quod Bulla S. D.N. vtatur verbis omnem scrupulum auferentibus, dicit enim plenissimam indulgentiam, & remissionem concedimus. Ad materiam tamen, scilicèt quæ interpretatio fieri debeat, an stricta, vel lata, vidè Alf. vbi supra magistraliter distinguentem à n. 26. vsque ad 32.

31 Hac occasione quæri potest, quomodo intelligenda sint verba illa, quibus interdum Summi Pontifices vtuntur, quando concedunt indulgentiam plenariam in forma iubilei, vel ad instar iubilei, siuè ad instar anni iubilei. & Resp. quod per talia verba non solùm plenissima indulgentia censetur concessa, etiam iuxtà Nau. d. not. 9. n. 15. & latius in not. 26. per totum; sed etiam significatur dari facultas absoluendi à reseruatis, & commutandi vota. ità Alf. vbi supra n. 13. post glo. magn. extrau. Vnigenitus (vt ipse allegat) de pœnit. & remiss. quæ est secunda in ordine, & inserta in extrau. dudum. Miror tamen fundamentum Alf. esse in d. glo. magna, cum tamen verum sit, d. extrau. nullas habere gloss. si meo libro credendum est: tribuit etiam d. extrau. Clementi quarto, & tamen est Clementi 6. sed forte hic èst error typographorum. Videtur opinio Alf. posse sustineri, vt constituatur aliqua differentia inter simplicem indulgentiam plenariam, & eam, quę in forma, vel ad instar iubilei conceditur, nisi dicamus: quod satis operantur illa verba, in forma iubilei, &c. si faciunt, vt indulgentia plenaria eo casu dicatur plenissima iux. Nau. qui est magnæ auctoritatis, pro quo facit etiam tex. in extrau. quemadmodum d. tit. de pœnit. & remiss. ibi. & singulas plenarias etiam ad instar iubilei, ac etiam commutandi vota, &c. vbi S. P. Sixtus Quartus suspendit omnes indulgentias plenarias etiam in forma iubilei, vbi addendo mediante copula (&) vel (ac) alia verba, nempe etiam commutandi vota, cum seqq. denotat, in illis verbis (ad instar iubilei) non compręhendi commutationem votorum, aliàs essent superflua, quod non est concedendum, quare videtur dicendum,


Digitized by Google

cendum, verba illa operari tantum, vt de plenaria fiat plenissima.

32 Nec dicatur illam particulam (&) siuè (ac) stare pro idest, vt interdum fit, prout in c. 2. de sponsa. & no. inst. de liber. in princ. quia ibi vnicuiq; intelligenti claret illud (&) siuè (ac) non stare declaratione, sed vel copulatiue, vel potius alternatiuè, vt jure interdum fieri solet. vt no. in c. 1. de rescript. & hic ex seqq. suadetur: quare cum dicendum sit cum communi opinione Doct. nullam differentiam esse, nisi in pronunciatione inter indulgentiam plenam, seù plenariam, pleniorem, & plenissimam, vt supra firmatum est, & in hoc sufficiat auctoritas Eminentissimi D. Cardinalis Bellarm. recol. mem. quem hanc opinionem tenentem contra Nau. citat, & sequitur Bon. vbi sup. d. q. 1. punc. 2. n. 5. & addo Tolet. lib. 6. cap. 24. n. 2. qui dicit; quod communiter nulla ponitur differentia in re, meritò pro opinione Alf. dicendum videtur, quod ne censeantur abundare, & frustra poni verba illa (in forma iubilei, vel (ad instar iubilei, &c.) ea operentur, vt prçter indulgentiam plenariam, seu plenissimam, possint fideles etiam eligere Confessarium, vt à censuris, & casibus reseruatis absoluantur, & vota sibi commutentur, vt etiam optime probari videtur ex forma, quam tradidit Vrbanus 8. annis præteritis, quando concessit indulgentiam plenariam in forma iubilei.

33 Vndè quid dicendum? Alf. ipse, quod n. 13. firmare videtur (licèt clarius loqui potuisset), quodammodo destruit per ea, quæ subdit ibi n. 15. Ideò pro resolutione dicerem. Aut Summus Pontifex in concessione talis indulgentię exprimit aliquo modo etiam tales facultates, aut nõ. Primo casu clarum est, quod illa forma iubilei importat etiam facultatem elligendi Confessarium, &c. Aut non exprimit, quod duobus modis potest intelligi, quod videlicèt non exprimat explicitè, sed tamen implicitè, puta si ex alijs verbis possit aliqualiter argui mens S. P. vt velit vltra indulgentiam plenariam, seù plenissimam, etiam quod possit eligi Confessarius, &c. & dico idem. Si autem nec implicitè, nec virtualitèr exprimit, in hoc video versari totam difficultatẽ: ego autem semper sentirem etiam in hoc casu cẽseri datam prefatam facultatem: verba enim (in forma iubilei) necesse est, vt operentur idem, quod operaretur iubileum in sua forma, quæ est, vt facultas detur eligendi Confessarium cum auctoritate absoluendi à reseruatis, & commutandi vota, alias illa verba nihil ope-

hil operarentur, vt in simili dicitur de clausula camerali, quia obligatio in forma Cameræ importat omnia, quæ in ea forma continentur, cum vigore prædictæ clausulæ danda sit executio, vt DD. de Rota dixerunt teste Salust. Tiber. in praxi iud. lib. 4. vbi agitur de forma obligationis Cameræ, quę nunc est in vsu. & hanc opinionem puto vtique probabilem etiam iuxtà Coriol. & Suarez. relatum per Alf. par. 2. n. 211. quibus tamen, cum dicant, contrariam esse probabiliorem, in hoc casu non auderem contradicere.

34 An autem in casu diuersarum opinionum possit quis relicta probabiliori eligere probabile, Dic, quod in moralibus iuxta com. sent. Doctorum sufficit sequi opinionem probabilem, ad trad. per eund. Alfons. par. 1. in quæst. prohem. n. 31. sicut cum habemus partem tutam, nō tenemur eligere tutiorem etiam quo ad præcepti implementum; imò fortius etiam in ijs, quæ ad fidem, & mores pertinent, vt firmat solidè Nau. in c. si quis autem de pęnit. dist. 7. & in man. cap. 27. n. 281. licèt cum agitur de implemento operis præscripti in iubileo, indulgentia non aquiratur, si actus omissus erat necessarius, etiam quod opiniò sit in contrarium, vt firmat Bonac. de sacram. disp. 6. q. 1. punc. 5. n. 27. Sed non mirum, quia secundum cum nec opinio probabilior sufficit in tali casu, nec communis error in hoc suplet defectum, vt ibi subditur, in casu tamen nostro non agitur de hoc, quare cogita.

35 Si autem dicatur in concessione, ad instar iubilei, vel ad instar anni iubilei, relinquo considerandum, cum extet regula de nō concedendis indulgentijs ad instar, vt notaui infra par. 4. cap. 6. occasione Breuis secundi Iubilei eiusdem Sanctissimi n. 17.

CAPVT SEXTVM.

SVMMARIVM.

Quot, & quæ requirantur ad validitatem iubilei tam ex parte Concedentis, quam ex parte obtinentis, in princip.

Summus Pontifex concedere iubileum extraordinarium potest, quando vult subsistente iusta, & rationabili causa, ibid.

Causa iusta in dubio semper præsumitur in S. P. ibi in fi.

Ad consecutionem Iubilei requiritur, quod quis sit in charitate, & sine culpa in vltimo opere, n. 1. remissiuè.

Caput VI.

QVot, & quæ requirantur ad validitatem Iubilei, dico, quod quatuor, videlicet auctoritas in Concedente (qui cum sit summus Pontifex, & Vicarius Christi in casu nostro

non est

Digitized by Google

non est dubitandi locus, cum habeat à Deo plenitudinem potestatis) & pietas, seu causa finalis quæ sit pia, nempe respiciat honorem Dei, & augumentum fidei, vel quid simile, & sic duo ex parte Concedentis.

Item habilitas in obtinente, nempe quod sit in charitate, & sine culpa; & tandem vtilitas in opere, seu executio operis, quæ sit ad vtilitatem animæ, & hæc duo ex parte obtinentis. ex glo. mag. in extrau. 1. de pęnit. & remiss. vbi addit etiam quintum, nempe congruitatem in tempore, sed hec requiritur in iubileo ordinario, vt ex ibi dictis apparet, non in extraordinario, de quo hic loquimur, quia Summus Pontifex potest illud concedere, quando vult, attenta semper causa iusta, & rationabili, quæ tamen semper in dubio præsumitur iuxta doctri. Bonac. de Sacr. disp. 6. q. 1. punc. 4. per totum. Secundum autem S. Thomam relatũ per Nauar. de iubil. super Bulla Greg. xiij. in ver. causa: reducuntur ad tria, quæ sunt auctoritas ex parte dantis, charitas ex parte recipientis, & pietas ex parte causæ: sed re vera ex parte recipientis requiritur etiam executio operis, nisi dicamus, tria requiri considerata indulgentia in abstracto, sed in concreto etiam quartum desideratur, vt effectiuè recipi possit: Vel melius pietas ex parte causæ, quæ cum respiciat honorem Dei, & vtilitatem proximi iux. Nau. vt supra, includit necessariò executionem operis, quæ semper est ad vtilitatem specialem proximi: quis enim neget, visitationem Ecclesiarum, orationem, ieiunium, eleemosinam, confessionem, & communionem proficere animæ proximi indulgentiam aquirere volentis? Innoc. autem in c. quod autem de pœnit. & remiss. dicit requiri septẽ, vt refert Nau. vbi supra, sed tamen tu dic, vt supra in principio.

1 Quod autem dictum est, in obtinente requiri, quod sit in charitate, & sine culpa, intellige in vltimo opere, quod quis exequitur pro implemento iniunctorum, vt firmatum est supra cap. 2. n. 1. & 2. & infra copiosè par. 3. cap. 1. n. 9. & c. 6. n. 5.



Digitized by Google



PARS SECVNDA

Hic videndum eſt de tenore Bullæ,& contentis in ea,in qua præmittuntur verba hęc.

IVBILEVM

S. D. N. Innocentij Diuina prouidentia Papæ X. Ad implorandum Diuinum auxilium pro fælici regimine,& ſtatu S.Rom.& vniuerſalis Eccl.

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

Vniuerſis Chriſti Fidelibus, ad quos præſentes litteræ peruenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Sequitur Tenor Bullæ.

IMmenſę Omnipotentis Dei bonitati placuit in maxima Almę Matris Eccleſiæ rerum perturbatione, nullis noſtris exigentibus meritis,ſupremum hoc Apoſtolicæ ſeruitutis munus noſtræ imbecillitati imponere: Vnde conſiderantes iniquam temporum conditionem, & grauiſſima, quæ vndique vrgent, & impendent, mala, pręcipuo quodam ſenſu angimur,& commouemur, de illius tamen benignitate non deſperantes, qui operari dignatur in Nobis, non deſinimus, ſummis, atque aſſiduis precibus eius auxilium implorare, fidelium q; & Deum timentium, quorum ipſe, vt ſperamus, voluntatem faciet,orationes expetimus, quibus Omnipotenti Deo ſemper benedicendo, gratijsq; miſericordiæ eius agendis adiuuemur, viribusq; à Cæleſti Rege ſubminiſtratis, ſuffulta noſtra infirmitas, commiſſarum Nobis curarum,& ſalutarium Reipublicæ Chriſtianæ officiorum partes orantis ſimul populi inſtantia promerente, valeat ſuſtinere, opemq; agitatæ, & vbiq; ferè depreſſæ Catholicæ Religioni ſuppeditare, ne, cum in altitudinem Maris venerimus, tempeſtate demergamur, ſed potius horribiles tot peccatorum ſtatus, &

exci-

excitatas tot Mari procellas dis-
scutientes, cum credito Nobis Grege optatum cursum, & æternæ salutis portum teneamus.

§. Quapropter in hac Alma Vrbe nostra à Cappella nostra publica Palatij Apostolici ad Basilicam Principis Apostolorum in Vaticano, necnon à Basilica S. Mariæ Maioris, ad Basilicam S. Ioannis Lateranensis proxima hebdomada, quæ erit tertia Aduentus, quarta, & sexta feria respectiuè solemnes processiones de more indicimus, ad quas Basilicas Nos vna cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, atque Episcopis, quos in Romana Curia adesse contigerit, ac Christianorum Regum, & Principum Oratoribus apud Nos existentibus, alijsq; Prælatis, atq; Officialibus Romanæ Curiæ, vniuersoq; Clero, & populo comitante, accedere, dictasquè processiones celebrare statuimus.

§. Vt autem diuinam opem efficacius imploremus, & simul effusis multorum precibus fructuosius exaudiamur; omnes, & singulos vtriusque sexus Christi fideles vbique existentes enixè in Domino hortamur, & paterna charitate monemus, vt qui in hac Vrbe sunt, dicta hebdomada, aut saltem altera sequenti; Qui verò extra Vrbem, in quibusuis Orbis terrarum locis existunt, proxima, aut altera sequenti hebdomada post præsentium notitiam, pias ad Deum preces effundant, vt Ecclesiam suam sanctam tueatur, & protegat; hæreses vndique euellere, & extirpare; Fidem sanctam catholicam adaugere, & propagare; Pacem, & veram concordiam largiri dignetur; Nobis vero vires tribuat, quibus susceptum onus ad eius Nominis gloriam, fideliumq; & animę nostræ salutem administrare valeamus, vt ij quidem, qui in eadem Vrbe hic præsentes sunt, præfatas S. Ioannis Lateranensis, Principis Apostolorum S. Mariæ Maioris Basilicas, vel vnam ex eis, quam maluerint; Qui vero alibi extra Vrbem erunt, Ecclesiam, seu Ecclesias per locorum Ordinarios, seu eorum Vicarios, aut de eorum mandato, aut ijs deficientibus, per eos, qui inibi curam exercent animarum, deputandam, seu deputandas, quocunque sibi bene viso eiusdem hebdomadæ die, vel diebus, saltem semel deuotè visitent; omnes præterea quarta, & sexta feria, ac sabbatho eiusdem, vel alterius sequentis hebdomadę ieiunent; & quantum pro suo quisque arbitrio iudicauerit, eleemosynas erogent; atque intra hoc ipsum tempus Sacerdotibus ab Ordinario approbatis peccata sua confiteantur;

& die

Digitized by Google

& die Dominico dictum sabbathi diem proximè subsequente, vel alio dictæ sequentis hebdomadæ die arbitrio Confessarij Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum deuotè percipiant.

Qui autem in nauigatione, vel itinere fuerint, eo peracto hęc ipsa faciant, & exequantur. Qui verò Regulares vtriusque sexus in Claustris perpetuò degunt, vel in carcere, aut captiuitate detinentur, vel propter corporis infirmitatem, aut aliud quodcunque impedimentum, superius expressa, seu eorum aliqua facere, seu adimplere nequiuerint, Sacerdotis Confessarij approbati ab Ordinario, quem elegerint, arbitrio, præfata omnia, & singula, vel eorum aliqua in alia pietatis opera commutare, vel in aliud, proximum tamen tempus, differre valeant.

§. Quæ omnia, vt eo libentius præstare studeant, quo vberius spiritualibus moneribus, & gratijs à Nobis se refectos esse cognouerint, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi ex illa ligandi, atq; soluendi potestate, quam Deus Nobis, licet indignis, contulit, omnibus, & singulis præfatis, qui præfata adimpleuerint, plenissimam peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicuti in Anno Iubilei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Vrbem concedi consueuit, tenore præsentium concedimus, & elargimur: necnon eisdem fidelibus, etiam cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, Regularibus vtriusquè sexus facultatem impartimur eligendi sibi Præsbiterum, Confessarium tàm sæcularem, quàm cuiusuis Ordinis, vel Instituti Regularem ex approbatis ab Ordinarijs locorum, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, & censuris à iure, vel ab homine quouis modo, vel causa latis, seu inflictis; necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quantumuis grauibus, & enormibus, etiam in Casibus tã locorum Ordinarijs, quàm Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in litteris die Cænæ Domini legi consuetis, atque aliàs etiam per quascunque etiam Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodolibet reseruatis, in foro tantum conscientiæ, hac vice dumtaxat, absoluere; & insuper vota quæcunque (Religionis, & Castitatis tantummodo exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, iniuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis

Digitized by Google

ctis casibus pœnitentia salutari, ac alijs iniungendis, possint, & valeant.

§. Mandantes insuper Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs quibuscunque Ecclesiarum Prælatis, & locorum Ordinarijs, in virtute S. obedientiæ, vt cum harum Litterarum transumpta, aut exempla acceperint, illa statim per suas Prouincias, Ecclesias, & Diæceses publicent, & publicari faciant, Cleroquè, & populo sibi subiecto solemnes processiones, sicut Nos in præfata Vrbe indiximus, indicant, & celebrent.

§. Per pręsentes autem super aliqua Irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, aut inhabilitate quomodolibet contracta, non intendimus, nec etiam in foro conscientiæ dispensare, neque vllam facultatem tribuere dispensandi. Ac declaramus, has ipsas præsentes quo ad absolutionem in foro conscientiæ, & pœnitentiali tantum, non autem in foro fori, seu contentioso consequendam, neque etiam quoad dictum forum conscientiæ ijs, qui ab aliquo Iudice excommunicati, suspensi, vel interdicti, seu aliter in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis huiusmodi Iubilei satisfecerint, aut cum partibus cōcordauerint. Neque pariter Hæreticis, aut scismaticis specialiter declaratis, seu condemnatis vllo modo suffragari.

§. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, præsertim, quibus absoluendi facultas in certis casibus tunc expressis ita specialiter Romano Pontifici pro tempore existenti reseruatur, vt nec etiam similes, vel dissimiles Iubilei, indulgentiarum, aut facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquè suffragari valeat; Necnon quorumcunque Ordinum, Congregationum, & Institutorum Regularium iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & cōsuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, Quibus omnibus, & singulis etiam si de illis, eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut expressio habenda, vel quæuis alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illarum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac formam in illis traditam

penitus

Digitized by Google

penitus pro ſeruata habentes, hac vice ſpecialiter, & expreſsè ad effectum præſentium derogamus, cęteriſquè contrarijs quibuſcunque.

§. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, vel exemplis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides vbique gentium, & locorum adhibeatur, quę ipſis pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romę apud S.Petrum Anno Incarnationis Dominicę milleſimo ſexcēteſimo quadrageſimo quarto, quinto Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno primo.

D. Datarius. S. Epiſcopus Cyrenen. P. Ciampinus. Regiſtrata in Secretaria Breuium.

Romæ ex Typographia R.C.A. MDCXXXXIV.

Copia Summarij eiuſdem Bullę.

Sommario della Bolla del Giubileo vniuerſale conceſſo dalla Santità di N. S. Innocentio Decimo per domandare il diuino aiuto per il felice gouerno della Santa Romana Chieſa.

LA Santità di N. S. Papa Innocentio Decimo Concede perdono, remiſſione, e pieniſſima Indulgēza di tutti li peccati, com'è ſolito concederſi à quelli, che nell'Anno Santo viſitano le Chieſe à ciò deſtinate dentro, e fuori di Roma, à tutti li Fedeli Chriſtiani dell'vno, e dell'altro ſeſſo, che nella prima, ò ſeconda ſettimana adempiranno le coſe infraſcritte, cioè.

Che viſitarāno deuotamēte le Baſiliche di S. Giouanni in Laterano, di S. Pietro, e S. Maria Maggiore, ouero vna di eſſe à loro elettione, almeno vna volta in detto tempo (alle quali Chieſe andarà proceſſionalmente la S. S. il mercordi li 14. del preſente meſe, dalla Capella Pontificia alla Baſilica di S. Pietro, & il venerdi ſeguente 16. detto dalla Baſilica di S. Maria Magg. alla Baſilica di S. Giouāni Laterano, eſſortando li fedeli ad interuenire, & iui pregaranno diuotamente S. D. M. acciò ſi degni defendere, e proteggere la Sua Santa Chieſa, di ſradicare, & eſtirpare l'hereſie: accreſcere, e propagare la Santa Fede Catolica, e concedere pace, e vera concordia; & alla S. S. forze per potere ſoſtener il peſo della ſuprema dignità à gloria di Dio, e per ſalute dell'anime de fedeli, e ſua.

E nella feria quarta, 6. e ſabbato, della prima, ò ſeconda ſettimana digiunaranno, & in detto tempo daranno elemoſine ſecondo l'arbitrio, e charità di ciaſcheduno.

Et

Digitized by Google

Et che nel medemo tẽpo cõfessaranno li loro peccati ad vn Cõfessore approuato, e si communicaranno diuotamente la Domenica prossima seguente, ò in vn' altro giorno della settimana seguente ad arbitrio del Confessore.

Quelli, che sono fuori di Roma conseguiranno l'istessa pienissima indulgenza de suoi peccati, come nel Giubileo sopradetto; se deuotamente visitaranno la Chiesa, ouero Chiese à ciò deputate da gl' Ordinarij loro, ò Vicarij di essi, ò per comissione delli medesimi, ouero in loro diffetto deputate da quelli, ch' essercitano nelli luoghi la cura dell' anime.

E se farãno tutte le cose dette di sopra nella presente, ouero nella settimana immediate seguente rispetto à Roma; ma fuori di Roma nella prima, ouero seguente settimana dopò ch' il presente Giubileo sarà publicato da gli Ordinarij.

Coloro, che sarãno nella nauigation del Mare, ouer in viaggio per Terra, quando saranno tornati alle case loro, se faranno, & essequiranno tutte le sopradette cose.

Li Regolari dell'vno, e l'altro sesso, che viuono nella Clausura perpetuamẽte, e quelli, che sono in carcere, & in cattiuità, ouero impediti per infermità, ò per qual si voglia altro impedimento, e che perciò non potranno adempire le sopradette cose, ò vero alcune di esse, potranno cõmutarle in altre opere pie, ouero differirle à fare, & adempire in altro tempo, purche sia tempo prossimo, e tutto questo ad arbitrio de' loro Confessori.

Parimente alli medemi fedeli etiamdio Regolari dell' vno, e dell'altro sesso di qualunque Ordine, e Congregatione dà facoltà di eleggersi per Confessore vn Sacerdote tanto Secolare, quanto Regolare di qual si voglia Ordine, ouero Instituto, purche sia approuato dall' Ordinario del luogo.

Il qual Confessore possa assoluere essi fedeli da tutte le sentenze, e censure Ecclesiastiche contro di loro pronunciate, e fulminate da Canoni, ò da Giudici per qual si voglia causa, e da tutti i peccati, eccessi, e delitti quanto si voglia graui, & enormi, anco nelli casi tanto riseruati à gl' Ordinarij de' luoghi, quanto à sua Beatitudine, & alla santa Sede Apostolica, anco nella Bolla solita leggersi nel giorno della Cena del Signore, ò in qualunque altre constitutioni de Pontefici Romani, eccettuati gl' Heretici, ò Scismatici specialmente dechiarati, ò condennati; e questa assolutioue habbia luogo, e s' intenda solamente nel foro

della

Digitized by Google

della conſcienza, e per queſta volta ſola.

E poſſa il detto Confeſſore commutare in altre opere pie, e ſalutari tutti, e qualunque voti (eccettuati però li voti di Religione, e di caſtità) imponendo nondimeno à detti fedeli, & à ciaſcuno d'eſſi penitenze ſalutari, & altre coſe da imporſi ad arbitrio del Confeſſore.

Mà per la preſente non intende ſua Santità diſpenſare, ò concedere la facoltà di diſpenſare ſopra alcuna irregolarità publica, ouero ſecreta, macchia, diffetto, incapacità, ouero inhabilità in qualunque modo contratta, ne anco in foro di conſcienza.

Ne anco intende, che in qual ſi voglia modo ſuffraghi à quelli, che da S. Santità, e dalla Sede Apoſtolica, ò da qual ſi voglia Prelato, ò Giudice Eccleſiaſtico ſono ſtati ſcommunicati, ſoſpeſi, ò interdetti, ouero dechiarati, e denunciati publicamente eſſer incorſi in ſentenze, e cenſure Eccleſiaſtiche, ſe fra il tempo di detto Giubileo non haueranno ſodisfatto, ò concordato con le parti. Dat. in Roma li 12. Decembre 1644.

In Roma nella Stamparia della Cam. Apoſt. 1644.

MOdò iuxta præmiſſa in prima parte in princ. hic agendum erit de expoſitione Bullæ, & primò de tit. ibi.

Iubileum S. D. N. D. Innocentij Diuina Prouidentia Papę X. ad implorandum Diuinum auxilium pro felici regimine, & ſtatu S. Romanę vniuerſalis Eccleſiæ.

Hic eſt titulus litterarum Apoſtolicarum, ſeu inſcriptio contentorum in eis, ſiue etiam indictio Iubilei conceſſi à S. D. N. ad implorandum, &c. & ſic ex hoc titulo iuncto textu habetur cauſa efficiens, videlicet ſummus Pontifex Innocentius. Cauſa materialis, videlicet Iubileum, & Indulgentia, & remiſſio. Cauſa finalis ad implorandum, &c. & tandem cauſa formalis, quæ erit executio operum iniunctorum, vt in contextu litterarum apparet.

Sequitur poſtea.

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

Vtuntur Pontifices his verbis humilitatis gratia.

Vniuerſis Chriſti fidelibus, &c. His enim Iubileum conceditur, non infidelibus iuxta tradita ſup. p. 1. cap. 2. in princ. & ex his habemus, quod Iubileum eſt vniuerſale ratione perſonarum, prout idem notatur ratione locorum, infra §. vt autem n. 9.

Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Primus in litteris Apoſtolicis his verbis vſus fuit Cletus Romanus ſummus Pontifex

tifex, vt habetur in lectione feſti huius Sancti die 26. Aprilis.

Immenſæ Omnipotentis Dei bonitati placuit. & infrà. Hic incipit contextus litterarum, ſeù Bullæ S. D.N.D. Innocentij X. Et tota Bulla poteſt diuidi in octo partes iuxta not. ſupra per §§. diſtinctos.

In prima fit mentio cauſæ impulſiuæ, ſeù motiuę huius conſtitutionis, ſeù conceſſionis iubilei, & hoc in principio Bullæ.

In ſecunda indicuntur proceſſiones publicæ in Vrbe, & hoc in §. Quapropter.

In tertia monentur fideles ad orationes effundendas, & cętera opera adimplenda, ex quibus fructum, ſeù effectum iubilei cōſequantur; & hoc in §. vt autem.

In quarta prædicta opera adimplentibus conceditur iubileum, & pleniſſima indulgentia, ac remiſſio, & cætera priuilegia, de quibus ibidem. & hoc in §. quæ omnia.

In quinta mandatur Ordinarijs locorum publicatio dd. litterarum, & indictio proceſſionum. & hoc in §. mandantes.

In ſexta S. Pontifex declarat mentem ſuam quo ad aliqua in præſenti conceſſione non comprahenſa, quę deſeruiunt pro limitatione nonnullorum præmiſſorum. & hoc in §. per præſentes.

In ſeptima derogat quibuſcunque in contrarium facientibus. & hoc in §. non obſtantibus.

In octaua, & vltima auctorizat copias, ſeu tranſumpta præſentium litterarum. & hoc in §. volumus autem.

Non ponitur Summarium propter breuitatem contentorum.

Et quo ad principium Bullę quinque ſunt notanda.

Primò, quod munus Summi Pontificis eſt donum Dei, & ex eius diuino placito proueniens.

Secundò, quod mala conditio temporum animos eorum, qui gubernant, angit, & commouet.

Tertiò, quod ex hoc non eſt deſperandum diuinum auxilium ſed aſſiduis precibus implorandum.

Quartò, quod Deus facit voluntatem timentium illum.

Quintò, quod humana infirmitas ope diuina ſuffulta, difficultates omnes ſuperare poteſt.

§. Quapropter.

SVMMARIVM.

Proceſſiones in Vrbe vbi, & quando, & quot. not. 1. & 2.
Baſilica, quæ dicatur. not. 3.
Notatur præcipuus Zelus, & deuotio S. D. N. Innocentij. not. 4.
Sanctus Petrus eſt Princeps Apoſ. not. 5.
Loca Suburbiorum, an dicantur de Vrbe, vel in Vrbe. not. 6.

Quo

Digitized by Google

Quo verò ad §. qua propter not. 6.

1 QVod indicuntur duę processiones in Vrbe, prima à Capella Palatina ad Ecclesiam S. Petri in Vaticano. Secunda ab Ecclesia S. Mariæ Maioris ad Ecclesiam S. Ioannis in Laterano.

2 Quod harum processionum in proxima hebdomada, quæ erat tertia Aduentus, agendarum, prima facienda erat feria quarta 14. Decembris. Secunda verò feria sexta 16. eiusdem mensis.

3 Quod præfatæ Ecclesiæ dicuntur Basilicæ fortè per translationem, cum propriè Basilica sit domus Regis, vel Palatium Regis, eo quia Ecclesia sit domus Summi Regis iuxtà gloss. in extrau. 1. de pœnit. & remiss. licèt Nau. in coment. de iubil. super const. Gregorij xiij. quæ incipit Dominus, ac Redemptor, &c. in ver. Basilicas. dicat Ecclesiam consecratam propriè appellari Basilicam. vide ibi per totum discursum.

4 Quod ipsemet Summus Pontifex interuenit, seù statuit interuenire personalitèr in ipsis processionibus, quod non solent omnes Pontifices, vndè ex hoc notandum videtur præcipuus zelus, & deuotio Sanctitatis Suæ.

5 Quod Sanctus Petrus dicitur Princeps Apostolorum, & benè, quia talis à Christo constituitur per illa verba. Pasce agnos meos: & pasce oues meas. Io. 21. vbi D. Chrisost. ait. eximius enim Apostolorum erat Petrus, & os Discipulorum, & vertex Collegij, vnde ea negatione delata committit ei prælationem fratrum, & à S. Leone Papa in serm. de Apostolis vocatur Princeps Apostolici ordinis. & est notissimum.

6 In verbis illis (in hac alma Vrbe) noto, Basilicam S. Petri dici in Vrbe, cum tamen sit in Burgo, & sic extra Vrbem, vt communiter dicunt incolæ Burgi: & ad hoc vide Nau. in d. coment. in expositione dictæ Bullę Gregor. 13. in ver. de Vrbe, vbi tenet, dictam Ecclesiam dici in Vrbe, vel de Vrbe, eò quia ita loquuntur exteri, vnde secundum modum loquendi exterorum rectè dicitur in Vrbe, vel de Vrbe. vide ibi Nau. Vel dic largè loquendo etiam loca Suburbiorum dici in Vrbe, vel de Vrbe, vt infra §. sequenti not. 3. Vel tandem dic, quod si attendamus Romam antiquam, Ecclesia S. Petri non erit in Vrbe, nec de Vrbe strictè loquendo: sed si respiciamus nouam iam auctam in pluribus locis, videbimus Ecclesiam S. Petri essè in Vrbe, & de Vrbe, cum hodie

E sit in-

sit intra mœnia, vnde meritò idē summus Pontifex in vltimo iubileo nuncupat eam de Vrbe, vt infra par. 4. cap. 6. in contextu Breuis apparet ibi, ad Basilicam Principis Apostolorum de Vrbe.

§. Vt Autem.

SVMMARIVM.

Plures simul fructuosius exaudiuntur, not. 1.

Hebdomadæ duæ assignatæ pro Iubileo an intelligantur coniunctiuè, an disiunctiuè, seu alternatiuè, not. 2. & remissiuè, & not. 4.

Vrbis, vel Ciuitatis appellatione an veniant Suburbia, not. 3. & vers. quod autem.

Absurdum non concedendum, ibi sub n. 3

Quot sint adimplenda ab ijs, qui lucrari volunt iubileum, not. 5.

Visitatio an sit primum opus, vel potius oratio, ibi sub not. 5. & sub not. 6. in fin.

Quotuplex oratio facienda pro acquisitione iubilei, not. 6.

An sufficiat implicitè orare vt supra, ibid. remissiuè.

Oratio an facienda sit in Ecclesia visitanda, vel sufficiat, si fiat alibi, ibid. sub d. not. 6. vers. an verò.

Ecclesia est locus orationis, ibid. sub d. vers. an verò.

Processiones sunt quædam solemnes visitationes, ibid. in fi.

Deputare Ecclesias, ad quem spectet, not. 7. & remissiuè.

Impeditis succuritur, & quomodo, n. 8.

Iubileum nostrum est Vniuersale, n. 9

Quo ad §. Vt autem. noto nouem.

1 QVod plures simul fructuosius exaudiuntur iux. id, quod etiam cantat Ecclesia in oratione omnium Sanctorum, ibi multiplicatis intercessoribus, &c.

2 Quod existentibus in Vrbe assignatur prima hebdomada proxima post publicationem harum litterarum, vel saltem hebdomada subsequens: quod intellige alternatiuè, seù disiunctiuè iuxta trad. infrà in 4. part. cap. 1. per totum.

3 Notatur, quod appellatione Vrbis, ibi, qui in hac Vrbe sunt, venit Roma largo modo sumpta, nempè quatenus compræhendit tàm Vrbem ípsam intrà mænia, quàm suburbia omnia, & adiacētia extrà mœnia, quæ tanquā accessoria debent sequi naturam sui principalis iuxtà l. nihil dolo .ff. de reg. iur. & c. accessorium. eod. tit. lib. 6. Vndè meritò degentes in Vrbe intelliguntur etiam si degant in suburbijs, & locis circum circa non subiectis iurisdictioni Episcoporum, seù similium Ordinariorū, vt inter eos constituatur differentia, prout fit hic per aduersatiuam (verò) ibi, qui verò extrà Vrbem, &c. Et ibi. qui verò alibi extrà Vrbem erunt, Ecclesiam, seu

am, seù Ecclesias per locorum Ordinarios, seù eorum Vicarios deputandas &c. ex his enim verbis constituuntur duo genera hominum, seù incolarum, nempè Vrbis, & extra: aliàs sequeretur, quod incolis suburbiorum, tamquam non subiectis alicui Ordinario, præterquam Summo Pontifici, & eius Vicario, non esset prouisum; quod tanquam absurdum non est concedendum, vt l. diuortio. iunct. glo. ff. sol. matr. & facit l. sed Iulianus §. mutui .ff. ad Maced. cum simil. & repugnaret ipsi Bullæ, per quam conceditur iubileum vniuersis, &c. vt infrà not. 9.

Quòd autem appellatione Vrbis, vel Ciuitatis veniant etiam suburbia, habemus tex. in termino in c. si Ciuitas. de sententia excommunicat. in 6. quod procedit in odiosis, ergo tanto magis in fauorabilibus, vt hìc.

4 Notatur, quod exteris omnibus vbiuis locorum Orbis existentibus assignatur prima, & secunda hebdomada, quod quomodo sit intelligendum dic, vt supra in secundo not. & infra par. 4. cap. 1. per totum.

5 Notatur, quod tàm ab existentibus in Vrbe, quàm extrà, sex sunt adimplenda ad hoc, vt iubileum consequantur. Primò pia oratio iuxtà hic contenta, nempè circa quinq; vt infrà dicetur. Secundò deuota visitatio Ecclesiarum. Tertiò ieiunium in feria quarta, sexta, & sabbatho. Quartò eleæmosina ad arbitrium. Quintò Confessio peccatorum. Sextò deuota Communio, seù sumptio Sanctissimi Sacramenti. Sed de his latè infrà in 3. parte huius operis per totum. Huic notat. addo, quod in textu huius contextus primo loco ponitur oratio, & secundo loco visitatio Ecclesiarum, ideò sic etiam ego notaui: in summario tamen primo loco visitatio, & in secundo oratio: sed in hoc non est facienda aliqua difficultas. no. tamen, quod in prox. seq. not. dicitur in fine.

6 Not. quod oratio facienda est quintuplex.

P. Vt Deus Ecclesiam Sanctam tueatur, & protegat.

2. Vt hæreses vndique euellat, & extirpet.

3. Vt fidem sanctam Catholicam adaugeat, & propaget.

4. Vt pacem, & veram concordiam largiatur.

5. Vt Sanctitati suæ vires tribuat, quibus susceptum onus ad Dei Nominis gloriam, fideliumquè, & animæ Ipsius salutem administrare valeat.

An autem sufficiat orare implicitè, nempè iuxta mentem Concedentis, an sit necesse prędicta explicitè in oratione comprehendere, dicitur infra par. 3. cap. 2. n. 11.

Digitized by Google

An verò necessario hæc oratio facienda sit in Ecclesia, seu Ecclesijs visitandis, dic, quod ex contextu Bullæ non habetur expresse; ex summario autem clarè elicitur, quod sic per illa verba. Et iui pregaranno. quod cum Romæ sit impressum, ex eo argui potest mens talis summi Pontificis, maximę quia ita in alijs iubileis practicatum fuit, & nouissimè etiam ita obseruatum ab eodem Sanctissimo in Breue secundi Iubilei emanati de anno 1648. vt notatur infra par. 4. c. 6. n. 12. Verum est etiam, quod in Bulla Iubilei extraordinarij Pauli Quinti de anno 1617. licet primo loco præmittatur oratio, tamen in ordine operum adimplendorum post visitationem Ecclesiarum subduntur hæc verba. ibique deuotè, vt supra, Deum orauerint. quæ verba cum in hac nostra constitutione non habeantur, nec aliqua alia, ex quibus inferatur extra Vrbem oratio, vel orandi modus, & locus, nisi ex verbis summarij, quæ expresse, & explicitè referuntur ad Ecclesias Vrbis, & implicite ad alias per verba illa. se faranno tutte le cose dette di sopra, satis elicitur ex hoc mens Concedentis, quæ magis clarescit etiam ex secundo iubileo, vt tactum est, cum de sui natura oratio veniat post visitationem, nam cum Ecclesia sit locus orationis iuxta illud Matthæi 21. meritò visitatio imponitur Ecclesiarum, vt ibi deuotè oretur, vt supra, vnde summarium Bullæ attendit potius mentem Pontificis, quam verba ipsa, prout fieri debet iuxta textum in c. intelligentia, de ver. sign. Et re vera ad quid visitare Ecclesias, nisi ibi fiat oratio? vnde de sui natura est, vt visitatio præcedat, & oratio sequatur, quam non est verisimile summum Pontificem voluisse fieri in angulis domorum, vel platearum, sed in loco apto, & per ipsum Deum ad id electo iuxta text. in lib. Paralip. cap. 7. ibi. oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit. Ad materiam, vbi fieri debeat oratio, vide infra par. 3. cap. 1. n. 33. & cap. 2. n. 12.

Vnum puto non omittendum, quod ex quo summus Pontifex primo loco indicit processiones, quę sunt solemnes Ecclesiarum visitationes, satis censetur præmittere Ecclesiarum visitationes orationi, quod est bene notandum.

7 Not. quod Ordinarij locorum debent Ecclesiam, vel Ecclesias deputare, vel deputari facere, alias ipsis deficientibus animarum Rectores, vel Curatores; de hoc tamen vide latius infra in tertia parte c. 1. n. 9.

8 Not. quod impeditis circa execu-

cutio-

Digitized by Google

cutionem operum prædictorum ſupra not. 5. ſuccurrit ſummus Pontifex concedendo, vt per Confeſſarium eligendum prædicta opera, vel pars eorum commutari poſſit, vel differri iuxta trad. latius in tertia par. cap. 3. n. 35. 36. & 37.

9 Not. quod hoc Iubileum eſt vniuerſale, licet in titulo hæc vox non ponatur, vt ſolet poni, & hoc arguitur clarè ex illis verbis hic poſitis; ibi, in quibuſuis Orbis terræ locis: præter alia verba generalia tam reſpectu locorum, quàm perſonarum, vt ex contextu Bullæ optimè patet, & notaui ſupra in verbo vniuerſis. vnde licet non ponantur in fronte Bullæ verba illa (Iubileum vniuerſale) vt ſolent facere Pontifices, tamen intelliguntur per prędicta; maximè quia ponuntur in ſummario, vt ſupra.

§. Quæ omnia.

SVMMARIVM.

Quanto quis vberius ſe refertum videt ſpiritualibus muneribus, & gratijs, tanto libentius opera ob id iniuncta exequi debet, not. 1.

Summa poteſtas ligandi, atque ſoluendi Summo Pontifici data eſt à Deo, not. 2. vbi quomodo id intelligatur.

Adimplentibus adimplenda in præſenti Iubileo pleniſſima indulgentia, & peccatorum remiſſio conceditur, not. 3. Vbi quomodo id intelligatur.

An per Indulgentiam pleniſſimam remittantur peccata, ibid.

Peccata quo ad culpam remittuntur in ſacramento Pęnitentiæ, ibi in fi.

Virtute Iubilei competit electio Confeſſarij, not. 4.

An id competat Regularibus vtriuſque ſexus, not. 5.

Confeſſarius ſic electus debet eſſe ex approbatis ab Ordinario, & quomodo id ſit intelligendum, not. 6. & remiſſiuè.

Confeſſarius electus virtute Iubilei poteſt abſoluere ab omnibus cenſuris, & caſibus etiam reſeruatis tam Ordinario, quàm Apoſtolicæ Sedi, & quomodo id intelligatur, not. 7. & remiſſiuè.

Talis abſolutio ſuffragatur ſolum hac vice, & in foro conſcientiæ tantum, & de intelligentia horum verborum, not. 8. & remiſſiuè.

Commutari etiam poterunt vota virtute Iubilei, not. 9. & quomodo, remiſſiuè.

Confeſſarius tempore Iubilei poterit imponere pęnitentias ſalutares, & alia iniungere de iure iniungenda, not. 10.

Quo ad §. Quæ omnia, not. decem.

1 QVod quanto quis vberius ſe refertum videt ſpiritualibus muneribus, & gratijs, tanto libentius opera ob id iniuncta exequi debet.

2 Not. quod ſuprema poteſtas ligandi, atquè ſoluendi Summo Pontifici data eſt à Deo, videlicèt Petro quidem immediatè à Chriſto, cæteris autem Summis Pontificibus pariter à Chriſto, ſed mediante electione Eccleſię, vel ha-

vel habentis vicem Ecclesię, vt firmat Syluester verbo Papa. sub num. 1.

3 Not. quod adimplentibus adimplenda S. Pontifex concedit plenissimam peccatorum indulgentiam, & remissionem. quod intellige quo ad pœnam debitã pro peccatis, non quo ad culpam iuxta gloss. not. in extrau. 1. de pœnit. & remiss. quæ allegat locum concordantem: sic etiam vtuntur alij Pontifices, & pręcipuè Bonifacius viij. in ea. extrau. ibi remissiones, & indulgentias peccatorum, & versus finem ibi. plenissimam concedimus veniam peccatorum: est enim modus vsitatus dicendi sic, & est notisſimum, nam peccata quo ad culpam remittuntur in Sacramento Pœnitentiæ iuxtà tradita supra p. 1. cap. 4. n. 2. 3. & 4.

4 Not. quod eisdem fidelibus, scilicèt præmissa exequentibus concedit facultatem eligendi sibi Confessarium.

5 Quod electio Confessarij competit etiam Regularibus vtriusque sexus.

6 Quod talis Confessarius debet esse ex approbatis ab Ordinario loci: quod quomodo sit intelligendum vide infra par. 4. cap. 5. à n. 1. vsque ad 18.

7 Quod talis Cõfessarius electus poterit absoluere ab omnibus cẽsuris, & casibus etiam reseruatis tam Ordinario, quam Apostolicæ Sedi, etiam si sint casus contenti in Bulla Cænæ Domini; quod intellige etiam de casu hæresis, non tamen si hæretici, vel scismatici sint specialiter declarati, seu condemnati, vt subditur infra in §. per præsentes not. 3. & 4.

8 Quod hæc absolutio suffragatur tantum hac vice, & in foro conscientiæ solum. & de intelligentia horum terminorum vide infra par. 4. cap. 5. n. 21. & 22. & adde, quę traduntur ibidem à n. 62. vsque ad 69.

9 Quod eisdem fidelibus, vt supra Confessarius sic electus poterit etiam commutare quęcunque vota, duobus tamẽ exceptis, videlicet Castitatis, & Religionis: quæ commutatio quomodo intelligatur, vide infra par. 4. cap. 5. à n. 92. & infra.

10 Not. quod talis Confessarius poterit etiam imponere pęnitentiam salutarem, & alia iniungere, quæ erunt iniungenda. quod quomodo pariter intelligatur vide infra par. 3. cap. 5. n. 26. 27. & 28.

§. Mandantes.

SVMMARIVM.

Ordinarij locorum tenentur publicare Iubileum statim post notitiam; imò & publicari facere per Diœcesim, not. 1. Patriarchæ, & Archiepiscopi idem per suas

Digitized by Google

suas Prouincias; not. 2.

Idem quo ad processiones, not. 3.

Mandatum in virtute sanctæ obedientiæ an habeat vim præcepti, sub not. 3. vers. Hic quo ad mandatum.

Et an obliget ad mortale, ibid. vers. An autem.

An verbum præceptiuum, vel prohibitiuum in constitutione Ecclesiastica obliget sub mortali, ibid.

Aduerbium (statim) quando verificetur, & quid in casu nostro, not. 4. idē de aduerbio confestim, & illicò.

Hebdomada quando dici possit prima quo ad publicationem Iubilei; vel quando integra ibidem.

Quo ad §. mandantes noto quatuor.

1 QVod Summus Pontifex mandat in virtute sanctæ obedientiæ locorum Ordinarijs, vt post receptionem transumptorum, vel exemplorum harum litterarum ea statim publicent, vel publicari faciant per suas Ecclesias, vel Diæceses.

2 Quod idem facere debent Patriarchæ, & Archiepiscopi per suas Prouincias, quod vix seruari videtur.

3 Quod idem intelligendum est quo ad processiones, quas celebrare, & indicere respectiuè debent.

Hic quo ad mandatum in virtute sanctæ obedientiæ dubitari potest, an habeat vim præceptiuam. Et dico, quod licet verbum (mandamus) de sui natura, & ex sui innata significatione nō videatur habere tantam vim ligandi, quantam præceptum ipsum, tamen per adiectionem verborum (in uirtute sanctæ obedientiæ) vim præcepti habere non est ambigendum ex doctr. Nau. de iubil. in annot. ad Constit. Greg. xiij. quæ incipit Dominus, ac Redemptor. in verb. mandamus, n. 51.

An autem tale pręceptum obliget ad mortale, relinquo pro nunc considerationi Episcoporum, & Vicariorum eorundem.

Benè verum est, quod si ex contemptu omiserint, quod hic iniungitur, peccatum mortale incurrisse non est dubitandum, vt firmat idem Nau. vbi supra in fortioribus terminis, nempe etiam si non adessent alia verba, ergo in casu nostro tanto magis videntur incurrere peccatum mortale, quantum per illa verba (in virtute sanctæ obedientiæ) verbum (mandantes) importat pręceptum; & clarum est, quod verbum præceptiuum, vel prohibitiuum saltem de suo accidentali significatu in constitutione ecclesiastica positum in dubio significat, Conditorem legis habuisse animum obligandi ad mortale; nisi per aliquod aliud exprimatur contrarium. idem Nau. vbi supra. & in man. cap. 23. n. 52. & 53. vbi dicit hanc

esse

Digitized by Google

esse communem opinionem.

4 Not. quod stantibus pręmissis malè faciunt nonnulli Ordinarij locorum, qui non statim publicant, & publicari faciunt, nec indicunt processiones: in quo est valdè aduertendum, quia cum indulgentiæ tantùm valeant, quantum sonant, vt communiter per DD. & prima, & secunda hebdomada post notitiam habeat locum hoc Iubileum, & competant fidelibus priuilegia in eo contenta, sequitur, vt si fuerint negligentes in publicando, dubium sit, an saltem secunda hebdomada competant. exempli gratia, si potest publicari die dominico, vel feria secunda, vel tertia, & expectetur sequens dominica, tunc quæ putatur prima hebdomada, erit secunda post notitiam, & secunda erit tertia à die notitiæ, & sic extra terminum, vnde vna tantum hebdomada competet: si verò non potest publicari saltem feria tertia. tunc prima hebdomada erit ea, quæ sequitur, quia si publicaretur feria quarta, non posset dici prima hebdomada, dum non possunt in ea absolutè, & ex integro fieri omnia, quæ iniunguntur, videlicèt processio, & ieiunium, vel saltem ieiunium: hebdomada enim non potest dici integra quo ad hoc, si in ea integrè impleri non possunt omnia iniuncta, vt in praxi in pluribus locis seruatum audiui: vndè licet aduerbium illud (statim) possit de rigore verificari infra tres dies, vel etiam plures, vel pauciores, hoc tamen intelligendum est arbitrio Iudicis, qui secundum subiectam materiam iudicabit. ad trad. per Menoch. de recup. remed. p.n 253. & seqq. vbi præcipuè dicit, aliquid statim, vel in continenti fieri, cum non excluditur tempus, intra quod actus executionis fieri potest: quare si protraheretur vltra feriam tertiam, excluderetur prima hebdomada; & sic non diceretur statim factum; quod tamen Summus Pontifex vtique mandat: & clarum est, aduerbium (statim) confestim, illiço, magis vrgere, quàm aduerbium (quamprimum) citò, valdè citò, quanto citius, &c. ad trad. per P. Auers. de Sacra. Euch. q. 8. sect. 7. vers. sed neque.

Si ergò prædicta verba, mandantes, important præceptum, quanto magis ea, quibus vtitur idem Summus Pontifex in secundo iubileo, de quo infra par. 4. cap. 6. n. 4. & seqq.

S. Per præsentes,

Digitized by Google

§. Per præsentes.

Declaratur, in qua non se extendat Bulla Iubilei. not. 1. & seqq.

Quo ad §. Per præsentes, no. quatuor

1 QVod Summus Pontifex se declarat per hanc Constitutionem non intendere cum aliquo dispensare super aliqua irregularitate, siuè publica, siuè occulta; nec super aliqua nota, defectu, incapacitate, aut inhabilitate quomodolibet contracta; & hoc nec etiam in foro conscientiæ, imò nec etiam concedere alicui facultatem sic dispensandi.

2 No. quod absolutiones de quibus supra, habent locum in foro conscientiæ, & pœnitentiali tantùm, non autem in foro fori, siuè contentioso: quomodo autem hæc intelligantur vide infra par. 4. cap. 5. n. 22. & 64. & seqq.

3 No. quod neque etiam quo ad forum conscientiæ absolutio à censuris dari potest ijs, qui ab aliquo Iudice excommunicati, suspensi, vel interdicti, seù etiam in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi infra tempus huius iubilei satisfecerint, aut cũ partibus concordauerint: quod intellige quando adest pars contraria, vel saltem fiscus. quod bene notent Confessarij, ne facultate iubilei abutantur, quæ omnia quomodo paritèr intelligantur vide infrà par. 4. cap. 5. nu. 20. & seqq.

4 No. quod nec ij, qui in hæresim lapsi sunt, vel inter schismaticos enumerantur, absolui virtute iubilei possunt, si sint specialitèr declarati, vel publicè denunciati; & sic per hæc duo vltima notabilia limitantur, quæ supra in §. quæ omnia notata sunt not. 7.

In Iubileo autem secundo excipitur crimen hæresis simplicitèr, & sic est strictius hoc primo, vt infrà notatur par. 4. cap. 6. num. 13.

§. Non obstantibus. non summatur propter breuitatem contentorum.

QVo ad §. non obstantibus, no. in hoc §. clausulas derogatorias ad maiorem validitatem eorum, quæ in hac Bulla continentur, siquidem per eas censetur derogatum quibuscunque in contrarium facientibus, vt disposita in hac constitutione liberum sortiri possint 1
effectum, notando præcipuè verba illa, ad effectum præsentium, &c. Ad materiam vide Mart. de Clausf. par. 1. clauf. 77. n. 1. & præcipuè not. quod per huiusmodi

modi clausulas tollitur omne Priuilegium in corpore iuris nō clausum, vt post plures DD. quos allegat, tradit idem Mart. vbi supra n. 2. vbi plenè de hac clausula nu. seqq.

In secundo autem Iubileo ponitur clausula quædam, quæ hic non habetur. vide, quæ dicuntur de hoc infrà part: 4. cap. 6. num. 17.

§. Volumus.

SVMMARIVM.

Transumpta Iubilei eandem auctoritatem habent, quam originale ipsum, not. 2. vbi quomodo id intelligatur.

Quænam dicantur personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, sub d. not. 2. vers. quæ autem.

Prothonotarij Apostolici an dicantur in dignitate ecclesiastica constituti, ibid. vers. an autem.

Quid de Vicarijs Episcoporum, ibid. vers. de Vicarijs.

Non refert, quid ex æquipollentibus fiat, ibid. vers. bene verum.

Quo ad §. Volumus autem. no. duo.

1 QVod vt faciliùs omnibus fidelibus hæ litteræ innotescant, Summus Pontifex dat eandem auctoritatem transumptis, quam dedit originalibus litteris.

2 No. quod transumpta, seu exempla habent eandem fidem, quam originales ipsæ litteræ: quod tamen intelligendum est, si sint subscripta manu Notarij publici, & munita Sigillo alicuius Personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, vt ibi subditur.

Quæ autem dicantur personæ huiusmodi, Dic, quod Prælati ecclesiastici, puta Episcopi, & Maiores, item Referendarij Apostolici, & ij, qui in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesijs habent officium Dignitatis, vt sunt Præpositi, Archidiaconi, Archipresbiteri, Primicerij, Thesaurarij, Decani, & similes sub quocūque nomine nuncupētur, dummodo per sedem Apostolicam declarentur inter dignitates, in quo attenduntur litteræ Apostolicæ prouisionis quorumcunque prædictorum, & hoc de se patet.


An autem Prothonotarij Apostolici dicantur in dignitate Ecclesiastica constituti, Dic, quod sic. tradit Ant. de præt. in tract. de iurisdict. Episc. cap. 8. n. 20. quod intellige tam de participantibus, quam de non participantibus, dummodo sint creati à Papa. Vide Vinc. Grillenz. cons. 121. n. 17. 18. & 19. & consil. 161. n. 55. & 56.

De Vicarijs Generalibus Episcoporum non est ambigendum,

Digitized by Google

dum, quod ſint in Dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, vt firmat Sbrozz. de offi. Vica. lib. 2. q. 22. n. 1. 2. & 3.

Bene verum eſt, quod dum per Ordinarios locorum publicantur tranſumpta, & tranſmittuntur per Diæceſim, ſatis dicuntur authentica, etiam ſi in quolibet folio, quod tranſmittitur, non adſit Sigillum Epiſcopi, & ſubſcriptio Notarij. nam litteræ Superioris æquipollent, & non refert, quid ex æquipollentibus fiat. l. mulierem, in princ. ff. ad Trebell. & l. ſi mater. C. de inſt. & ſubſt. nam de æquipollentibus idem eſt iuditium. l. fi. ff. manda. cum ſimilibus.



PARS TER-

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS TERTIA

IN PRINCIPIO.

SVMMARIVM.

Opera iniuncta sunt sex. n. 1. & qua n. 3.
Omnia sunt adimplenda, aliàs nihil fit. ibidem, & sub n. 4.
Per qua verba inducatur conditio n. 2.
Relatiuum qui adiuncto verbo futuri temporis inducit conditionem. ibidem.
Conditio est adimplenda in totum, non pro parte. sub eo. n. 2.
An prætermittens partem operis iniuncti lucretur iubileum. n. 5.
Leuitas operis consideratur dupliciter, & quomodo. sub d. n. 5.

Hic videndum erit de executione operum iniunctorum ad effectum obtinendi, seù consequendi iubileum, siuè fructum iubilei.

1 OPera autem sunt sex, quæ à Summo Pontifice iniunguntur, quæ omnia, & singula sunt necessariò adimplenda; alias nihil fit: in hoc enim sensu dici potest, quod indulgentiæ tantum valent, quantum sonant iuxta trad. per Bonac. de Sacram. disp. 6. q. 1. punc. 5. n. 20.

2 Nam clarum est, per verba illa omnibus, & singulis, qui præfata adimpleuerint, plenissimam indulgentiam concedimus) quę præcisè habentur in Bulla, in §. quæ omnia. importari conditionem, nam relatiuum (qui) adiunctum verbo futuri temporis inducit conditionem. l. sticum, qui meus erit. ff. de lega. 1. vnde cõditione non impleta nihil obtinetur, etiam quod pro parte adimpleatur, quia in totum est adimplenda ex doctri. Nau. de iubil. super Bulla Greg. in ver. durante. in princ. & not. 19. n. 1. & 2. nisi enim aliter exprimatur in Bulla, omnia iniuncta sunt simul adimplenda; non enim conceditur indulgentia per partes, nec pars pro parte operis, vt in term. idem Bonac. d. n. 20.

3 Primò ergò iniungitur deuota visitatio Ecclesiæ, seù Ecclesiarum, de qua infra cap. 1. n. 1. & seqq.

2. Deuota oratio, de qua infrà cap. 2. per totum.

An autem primo loco in Bulla iniungatur visitatio, an oratio, vide supra par. 2. §. vt autem. sub not. 6. vbi de hoc.

3. Ieiunium in quarta, & sexta feria, & sabbatho, vt infra cap.

3. per

3. per totum,
4. Eleæmosina ad arbitrium. infra cap. 4.
5. Confessio peccatorum, de qua cap. 5.
6. Communio, seù sumptio Sãctissimi Sacramenti, vt infra c. 6.

4 Ex his igitur in hoc principio traditis apparet, quod ad obtinendum fructum iubilei, & sic plenissimam indulgentiam necesse est (vt iam conclusum fuit) quod omnia sex opera adimpleantur; conditionalis enim dispositio non potest habere locum, nisi omnibus conditionibus adimpletis, vt l. qui fundus. ff. de cond. & demonf. & concludit Bonac. vbi suprà post Nau. Suarez, D. Anton. Palud. & alios, quos allegat, & est clarissimum.

5 Sed hac occasione quæri posset, an prætermittens partem operis iniuncti consequatur iubileum. Respondetur, quod pars operis, aut est notabilis, & clarum est, omittentem non lucrari: aut leuis, & tunc leuitas potest dupliciter considerari, vel in se tantùm, vel etiam respectiuè. Si in se tantùm, & non etiam respectiuè, hæc leuitas vitiat, & impedit aquisitionem indulgentiæ: Si autem leuitas consideretur nõ tantum in se, sed etiam respectiuè ad opus iniunctum, tunc non impedit iuxta opinionem probabiliorem, teste eodem Bonac. d. punc. 5. n. 21. vbi dat exemplũ, si extat indulgentia pro eo, qui post communionem recitauerit Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam; hic si vnam omittat, licèt in se sit leuis omissio, ratione tamen operis iniuncti, secus: At in eo, qui ieiunat, si aliquod modicum degustet, quod non sit sufficiens ad peccatum mortale contra preceptum ieiunij (hic enim dicitur pretermittere leuem partem tam in se, quam etiam respectiuè) secus est, quia consequitur indulgentiam.

An autem subordinatio operũ iunctorum iuxta litteram sit de necessitate, vide infrà cap. 1. n. 41. & 42.

Et an omnia iniuncta debeant fieri in gratia, dic vt infra cap. 1. num. 9.

CAPVT PRIMVM.

Quo ad visitationem Ecclesiarum. Et in hoc particulari videndum est de duodecim, videlicet. 1

P. Quid sit deuotio, & quomodo intelligatur deuota visitatio, à n. 1. & infra.

2 An constitutus in peccato mortali, vel etiam in veniali dicatur deuotè visitare, n. 12. & seqq.

3 A quo sint designandæ, vel deputandæ huiusmodi Ecclesiæ n. 16.

4. Quot

Cap. I.

SVMMARIVM.

Deuota visitatio requiritur, n. 1. 8. & 15
Quid sit deuotio, n. 2.
Quis dicatur deuotè visitare, n. 3. & quis non, n. 12. 13. 14. & 15.
Quid de eo, qui visitat fine impertinente, n. 4.
Quid si fine indifferente, n. 5.
Quid sit actus, seu opus otiosum, ibid.
Quid si ad finem bonum visitet, non tamen ad effectũ lucrandi Iubileum, n. 6
Et quid si tunc deficit in debita oratione, n. 10.
Quid si à principio habet finem malum, & postea mutat propositum ante completam visitationem, n. 7. & 14.
Quid si in Bulla non esset illa particula (deuotè) n. 8.
Quid de omnibus operibus iniunctis, nunquid debeant fieri in gratia, an debeant esse bona saltem moraliter, n. 9.
Vltimum opus debet fieri in gratia, & debet esse meritorium, d. n. 9.
Num Ecclesia possit exercere iuditium de internis, n. 11.
Indulgentia potest obtineri per actum internum, ibid.
An peccatum mortale, uel veniale impediat deuotionem, n. 12. & seqq.
A quo sint designandæ Ecclesiæ pro visitatione, n. 16. & seqq.
Prælati nullius Diœcesis habent ordinariam iurisdictionem, sub d. n. 16.
In defectum Ordinarij quis deputet Ecclesias, & quando Ordinarius dicatur deficere, n. 17. in fi. & n. 20.
Vtrum Parochi in defectum Ordinariorum possint publicare Iubileum in suis Parochijs, n. 21. 22. & 23.
Nullus potest publicare Iubileum, nisi Ordinarius, n. 25.
Quot Ecclesiæ sint designandæ, n. 26.
Quot sint designatæ in Vrbe, d. n. 26. vers. in Vrbe.
Quot autem sint visitandæ, sub d: n. 26. & n. 27. & 28.
Quoties visitandæ, n. 29.
Quo die visitandæ, n. 30.
Quid si die Dominico, n. 31.
Quid si de nocte, n. 32. & quid si diceretur: Diurno tempore, ibid.
An satisfaciat, qui non intrat Ecclesiam, sed tantum visitat per accessum, n. 33. 34. & 35.
Sed quid si dicatur in Bulla, vt oret in Ecclesia, ibid. sub d. n. 34.

Sed quid

Caput I.

1 ET quo ad Primum, & sic quo ad onus visitationis Dico, quod cum in Bulla in §. vt autem. habeantur hæc præcisa verba (deuotè visitent) quæ verba concordant cum extrau. Vnigenitus. de pœnit. & remiss. & extrau. quemadmodũ. eo. tit. quæ habet (reuerenter) quod sonat in idem secundum Nau. de Iubil. in princ. Videndum est primo quid sit deuotio. Et Dico quod

2 Deuotio nil aliud est, quam prompta voluntas faciẽdi, quod ad Dei seruitium pertinet iuxtà D. Thom. 2. 2. q. 82. art. p. relatum à Corrad. in resp. cas. cõsc. par. 1. quæsit. 245. vbi ponit exemplum in his, qui vehementer amant, totaliter enim in obsequium amatę rei se mancipant nil aliud cogitantes, nil aliud meditantes, & contemplantes, quam quomodo ei magis placere, & dedicare se possint. eandẽ definitionẽ refert etiam Alf. de Leo. in tract. de off. & pote. Cõfess. temp. iubil. par. 1. n. 145.

3 Ex his ergo infertur, quod deuotè visitare dicitur is, qui pro fine dictæ visitationis habet gloriam Dei, vel vt Deo placeat, seù vt illi seruiat, vel vt opus iniunctum adimpleat, vel vt indulgentiam, & iubileum consequatur, quia intendit saltem virtualiter gloriam, seù seruitium Dei, quod sufficit, vt ex tradit. per Alf. elicitur vbi suprà, videlicèt à n. 146. vsquè ad n. 151.

4 Sed quid si alio fine quis visitet, puta fine impertinente, vel indifferente, sed tamen satisfaciendi voto, vel alijs obligationibus. Et quo ad finem impertinentem, dico, quod si cum dicto fine non conuenit etiam finis bonus, talis non satisfacit, quia est actus malus: si autem conuenit finis bonus, secus. Alf. vbi supra n. 150.

5 Quo verò ad finem indifferentem, puta si visitat causa recreationis, vel videndi amicos, vel consequendi aliquod commodum, vel quid simile, dico, quod non satisfacit, quia talis actus non respicit nec actualiter, nec virtualiter honorem Dei. ex eo. n. 151. Et non mirum, quia talis actus

Digitized by Google

actus, licet in se sit indifferens, tamen in genere moris, seu moraliter loquendo est otiosus, siuè opus otiosum, quia caret debito fine, qui est placendi Deo, & cõsequenter est actus malus, quia qui non est mecum, contra me est. Lucæ 11. & latè ex doctri. Nau. in man. cap. 23. n. 1.

6 Quò verò ad finem bonum, putà satisfaciendi voto, vel alijs obligationibus, hoc est pœnitentijs iniunctis, vel similibus, Dico, quod cum in tali fine includatur etiam gloria Dei, & sic talis sit actus bonus, sufficit, ex eo. Alf. vbi suprà n. 152. post alios, quos allegat; quod puto verum, talis enim visitatio deuota est. vide tamen, quę dico infrà n. 10.

7 Quid autem si à principio, in itinere puta, is habet finem malum, vel talem, vt satisfacere nõ possit, & postea mutat propositum etiam postquam est ingressus Ecclesiam.

Resp. quod satisfacit, quia satis est, vt habeat bonum finem, & intentionem antequam visitationem compleat, vt ex Nau. & Rodriquez. relatis per Alf. vbi supra sub n. 154.

8 Et pro complemento huius circumstantiæ deuotionis in actu visitationis notandum est, quod est adeò necessarium, vt quis deuotè visitet, vt etiam si in Bulla iubilei, vel indulgentiæ illud aduerbium (deuotè) non sit appositum, adhuc subintelligatur, adeò, vt si quis ad consequendam indulgentiam intraret in Ecclesiam, sicut ingrederetur alia cõmunia loca, vel transeundo, vel deambulando, vel curiositatis gratia ad conspiciendum eius pulchritudinem, seù ornamenta, vel alia simili intentione, non lucraretur indulgentiam, quia talis non est pia visitatio, nec religiosa operatio. Oportet ergò, vt accessus ad talem locum ex fide, & religione aliquo modo procedat, fiatq; ad colendum in tali loco Deum, vel in se ipso, vel in aliquo Sancto, qui propter ipsũ ibi honore efficiatur. Sunt verba præcisa Suarez disp. 52. sect. 1. n. 4. & ref. Alf. vbi suprà nu. 157. qui subdit, quod actus visitationis debet esse opus honestum, & actus moralitèr bonus, aliàs potius impediret, quàm iuuaret pęnæ remissionem: quod est valdè notandum.

9 Imò generalitèr addo, quod omnia opera, quæ iniunguntur, licèt non sit necesse, quod fiant in statu gratiæ, nec sint meritoria, nisi vltimum opus, quod complet, & perficit omnia, & per quod illicò acquiritur indulgentia; tamen necesse est, vt sint bona saltem moraliter ex Nau. de iubil. not. 19. sub n. 19. præcipuè vers. his inquam præsuppositis, vbi post longam discussionem hoc concludit; & tactum est

ſupra par. 1. cap. 2. n. 1. & 2. & infra hac ea. par. 3. cap. 6. n. 5. & adde ad materiam, quæ dicuntur infra hoc eo. cap. n. 14. & 15.

10 Vnum tamen puto non omittendum, & eſt, quod ſuppoſito, quod oratio iuxta mentem Summi Pontificis debeat fieri in Eccleſia, vtique ſequetur, quod viſitatio etiam ſi dici poſſit deuota, ſeu deuotè facta in terminis, de quibus ſupra n. 6. non tamen erit ſufficiens ad effectum, de quo quæritur, non quidem ex defectu deuotionis, ſed ex defectu debitæ orationis, quæ viſitationi cenſetur annexa, ſi in illa deuota viſitatione nec explicitè, nec implicitè, nec actualitèr, nec virtualitèr oratio facta ſit iuxta mentem Summi Pontificis. An autem ſupleri poſſit extra Eccleſiam, vide, quæ dixi infra cap. ſeq. n. 12. 13, & 14. maximè in fi.

11 Sed hic obijci poſſet, quod deuotio eſt actus internus, & clarum eſt, Eccleſiam non poſſe iuditium de internis exercere; ad quid ergo requiritur deuotio, cum non ſit cognita, niſi Deo? Reſpondetur, quod Eccleſia in hoc caſu non exercet iuditium de actu interno, ſed actum hunc requirit tanquam conditionem ad conſecutionem indulgentiæ, in quo ſufficit, vt adimpletio talis conditionis ſit nota Deo. ita Bonaci. poſt Suarez. quem allegat, & ſeq. de ſacram. diſp. 6. q. 1. punc. 5. n. 28. vbi concludit poſſe per actum internum indulgentiam obtineri, vt fit per inuocationem Nominis IESV à conſtitutis in articulo mortis, ſi non poſſunt ore, ſaltem corde, & in caſibus ſimilibus.

12 Ad ſecundum, an conſtitutus in peccato mortali, vel etiã veniali dicatur deuotè viſitare. Diſtinguo. Aut loquimur de peccato intrinſeco reſpectu actus viſitationis; aut de extrinſeco. hoc eſt, Aut de peccato, quod fit, & vnitum eſt cum actu viſitationis. v. g. ſi quis viſitet in finem malum, vel id facit inordinatè, ita vt dicatur actus malus, hoc enim caſu actus non eſt bonus ſaltem moralitèr, vt de iure requiritur, ob defectum circumſtantiæ bonæ, hic actus dicitur intrinſecè malus, vndè de ſe excludit omnem deuotionem; hoc ergò caſu non dicitur quis deuotè viſitare.

13 Aut de extrinſeco, hoc eſt de peccato, in quo quis eſt conſtitutus ante viſitationem completam, nec de eo eſt contritus, hic enim dicitur eſſe in peccato; attamen cum viſitet bono fine, facit actum viſitationis moraliter bonum, & peccata facta in itinere, vel ante, non contingunt actum viſitationis, & hoc caſu ſiuè loquamur de peccato mortali, ſiuè

li, siuè veniali, semper quis dicitur deuotè visitare, si bono fine visitet. ità ex Nau. de iubil. super Bulla Greg. in ver. deuotè. n. 46. 47. & 48. vbi vide exempla pro maiori huius doctrinæ intelligentia.

14 Vbi etiam habetur ex mente eiusdem (& hoc sit ad ampliationem conclusionis) quod licet quis in ingressu Ecclesiæ habeat malam intentionem puta visitādi ob vanam gloriam, vel simil. si mutet intentionem, & in se reuertatur, & ob bonum finem compleat visitationem, satisfacit, & dicitur deuote visitare, cùm in hoc attendatur finis, & nō principium visitationis; quod est valde notandum, & faciunt tradita supra à n. 4. vsque ad 8.

15 In summa concludendum est, quod in hoc necessarium est, vt visitatio sit actus bonus saltem moraliter, si non meritoriè. vt ex iam dictis, & ex Nau. vbi sup.

16 Ad tertium. A quo sint designandæ, vel deputandæ huiusmodi Ecclesiæ. Et dico, quod extra Vrbem Romam debent deputari ab Episcopo, seu eius Vicario Generali, siue alio Prælato, qui in loco habeat ordinariam iurisdictionem, vt in §. vt autem. ibi, per locorum Ordinarios, seu eorum Vicarios: nam Prælati nullius Diœcesis dicuntur habere ordinariam iurisdictionem, & veniunt appellatione Ordinariorum, vt tangit Sbrozz. de offi. Vica. lib. 1. q. 3. n. 35. de Præposito Pontiroli, qui habet ordinariam iurisdictionem.

17 Item possunt deputari de supradictorum mandato, vt ibi in tex. quod fit, si id committant alicui. puta Vicario foraneo, vel Archipresbitero, seu Plebano, vel generaliter omnibus Parochis, quo casu deputatio fieri debet iuxta tenorem mandati, & non ad libitum Parochorum, nisi in hoc detur facultas.

His autem deficientibus, possunt deputari per eos, qui curam gerunt animarum, sed hoc intellige respectiuè ad Parochiam, vt pariter habetur in textu in d. §. in illis verbis, aut ijs deficientibus per eos, qui inibi curam exercent animarum.

18 Dixi respectu ad Parochiam per particulam (inibi) Sed quid si Parochus deputet cum Ecclesia parochiali etiam aliam, puta Regularem, vel Oratorium publicum, quæ sint extra Parochiam. Casus videtur dubitabilis, dum Ordinarius non remittit ad arbitrium Parochorum; si enim remitteret, vt aliquid operetur ista remissio plusquam si ordinarius sileret, videretur asserendū affirmatiuè; alias non crederem posse per se deputare extra Parochiam, nisi forte de consensu Parochi loci, vbi sita est Ecclesia; in

Digitized by Google

sia; in hoc enim casu verificantur verba Bullæ, quæ habet, vt deputentur per eos, qui inibi exercent curam animarum, si enim non in singulari, saltem in plurali verificantur verba illa: in similibus enim puto sufficere quãdam æquitatem, cum simus in fauorabilibus arg. l. quod fauore C. de legi.

19 Sed quid si sit Plebanus, seu Archipresbiter in Diæcesi, nunquid in toto Plebatu suo poterit per se deputare Ecclesias? Responderem negatiuè, nisi ab Ordinario sit ei data facultas, quia semper verum est inibi, idest in toto Plebatu ab eo non exerceri curam animarum; in hoc enim puto Plebanum, siuè Archipresbiterum considerandum tanquã purum Parochum, vnde non poterit, nisi in sua Parochia, prout idem de Vicario foraneo, si sit Parochus: Summus enim Pontifex, deficientibus Superioribus, ipsemet deputat eos, qui ibi exercent curam animarum, & nõ habet in consideratione Archipresbiteros, nec Plebanos, nec Vicarios foraneos. & hoc puto clarum.

20 Horum occasione videtur querendum, quandonam dicatur propriè Ordinarius in hoc deficere, vt locus sit facultati Parochorum circa deputationem Ecclesiarum. Respondetur, quod tunc videtur Ordinarius deficere in deputando, quando publicato Iubileo, & indictis processionibus, nihil ordinat Parochis super deputatione Ecclesiarum, tunc in defectum eius necessario Parochus subintrare debet cum facultate deputandi, & in hoc non puto dubitandum; nam prius non potest dici defecisse, si nõ incepit actum. arg. l. Titio vsusfructus. ff. de condit. & demõst.

21 Fortè dubitari posset, an in defectum Ordinariorum Parochi possint publicare Iubileum, si alia via eis innotescat. & dico, quod aut id sciunt per publicam vocem, & famam, siue per relationem aliquorum etiam fidedignorum; & clarum est non posse, quia non habent certitudinem tenoris constitutionis Apostolicæ: si autem sciunt per transumpta, seu exempla pura sine subscriptione, & sigillo, vt infra, dico idem: si autem sint talia, nempe manu alicuius Notarij publici subscripta, & sigillo alicuius personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munita, in hoc cum videatur intrare quædam negligentia Ordinarij, casus videtur disputabilis, cum iubileum competat prima, aut secunda hebdomada post notitiam, quare cum periculum sit in mora, videtur, quod Parochi publicare possint etiam non expectato ordine Superioris.

22 Attamen puto expectandam esse

dam esse publicationem Ordinarij, cum subditi habeant Ordinarium suum, tanquam speculatorem, & regulatorem omnium agendorum in ordine ad curam animarum, maximè in extraordinarijs, vt sunt huiusmodi Bullæ, & iubilea. ad trad. per Carol. And. Bass. de Cura animarum par. 3. cap. 14. præcipuè vers. debent etiam.

23 Nec dicta verba Bullæ obstant, quia generalitèr loquuntur de omnibus iubileum aquirere volentibus; alias etiam quilibet priuatus possèt in loco suo iubileum aquirere ante publicationem Ordinarij, quod est absurdum, cùm nec ibi Ecclesiæ sint designatæ, vltra defectum publicationis, ergò non concedendum: l. nam quod absurdũ. ff. de oper. liber.

24 Præterea tunc dicitur quis simplicitèr notitiam alicuius rei habere; quando certo scit, rem sic se habere, non autem per coniecturas. ad trad. per Abb. in c. 1. de scrut. in ord. facien. quod vix fieri potest; nisi per superiorem, cui ex officio incumbit, notificetur; ipse enim Episcopus est magister, a quo instrui, & dirigi debet Sacerdos, vt seipsum, & populum regat; vt expresse tradit idem Bass. vbi supra, vndè meritò hanc notificationem Summus Pontifex mandat locorum Ordinarijs, & non alijs, vt in §. mandantes. clarè habetur.

25 Quòd autem nullus alius publicare possit iubileum, sed Ordinarius, cùm etiam quo ad exemptos expectanda sit publicatio Ordinarij, post Vgol. firmat Alf. de Leo. de off. & pote. confess. par. 2. in princ. fortè possunt in defectum Ordinariorum Parochi hoc facere virtute iubilei 2 de quo infra par. 4. c. 6. n. 4.

26 Ad quartum. Quot Ecclesiæ sint designandæ, & consequentèr visitandæ. Resp. breuitèr, quod sufficit, vnam tantum designare, vel plures iuxtà placitum Ordinariorum, seù aliorum ad quos spectat, vt habetur clarè in tex. Bullæ, in §. vt autem. ibi. Ecclesiam, seù Ecclesias. In Vrbe autem tres sunt designatæ, videlicèt Ecclesia S. Ioannis Lateranensis, S. Petri in Vaticano, & S. Mariæ Maioris, vt in eo. §. habetur, & sic extra Vrbem vnã tantùm visitare sufficit, dum vna tantum designatur.

27 Si autem plures designantur; sufficit paritèr saltem vnam ex eis visitare, vt quo ad Vrbem clarum est in d. §. vt autem. ibi. vel vnam ex eis, quam maluerint.

28 Quo verò ad partes, videlicet extra Vrbem, videtur pariter idem dicendum, ne exteri dicantur esse deterioris conditionis, quod non videtur concedendũ, licet re vera vbi in textu dicitur de visitatione Ecclesiæ, vel Eccle-

Digitized by Google

clesiarum extra Vrbem, non addantur illa verba (vel vnam ex eis, quam maluerint) id tamen suadetur primò quia non videtur diuersa ratio, ergo nec diuersa dispositio. facit l. ventre. in fi. ff de aqui. hęred. 2. Quia (vt tactum est) esset absurdum asserere, summum Pontificem, qui Pater est omnium, velle in hoc grauare plus exteros, quam Romanos, ergo non concedendum. 3. Quia quod vno loco dicitur, censetur repetitum in alio, vbi non est expresse dictum, vt effugiatur replicatio eiusdē rei, quę habet quandam eufoniam, & hoc puto indubitatum, quando ex alijs verbis Bullæ non arguitur contrarium. & vide n. seq.

29 Ad quintum. Quoties visitādæ sunt Ecclesię, breuiter, & hic pariter Resp. quod semel sufficit visitare, quod est clarum in text. in d. §. vt autem, ibi saltem semel deuotè visitent, quæ verba certum est, referri principalitèr ad Ecclesias extra Vrbem, & pari ratione ad Ecclesias etiam intra Vrbem, cum verba illa alibi non habeantur: sicut enim quo ad Ecclesiam vnam verba principaliter, & expresè referuntur ad Ecclesias intra Vrbem, & pari ratione ad Ecclesias etiam extra Vrbem, vt supra n. præced. ita & tunc econtrario verba illa (saltem semel) expresè indicant visitationem extra Vrbem, tacitè autem visitationem intra Vrbem, & totum per identitatem rationis, & ne fiat replicatio terminorum, vt tactum est supra n. pręced.

In secundo autem Iubileo idem Sanctissimus bis vtitur eisdem aduerbijs tam quo ad incolas, quam quo ad exteros, vt infra par. 4. cap. 6. n. 7.

30 Ad sextum quo die visitandę sint Ecclesiæ, & dico quolibet die id fieri posse, & intelligo de hebdomada prima respectu eius qui in prima lucratur Iubileum; vel secunda, si in secunda lucrari intendit, vt ex verbis claris in d. §. vt autem apparet ibi, quocunque sibi bene viso eiusdem hebdomadæ die, vel diebus, & in hoc nulla videtur difficultas contra scrupulosos, qui reputant se non satisfacere, nisi visitent in diebus ieiuniorum, cum id non sit necessarium. Puto tamen congruens, cum illi dies iam sint dedicati ad pęnitētiam.

31 An autem, qui nullo die hebdomadæ visitauit, possit die Dominico sequenti visitare, & satisfacere oneri iniuncto, puto respondendum negatiuè, cum dies Dominicus concedatur tantum pro susceptione Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, cum sit vltimum opus, vt infrà suo loco. poterit tamen ex integro satisfacere secunda hebdomada, si in prima defecit, aliàs erit omninò

extra

Digitized by Google

extrà tempus Iubilei. vide infrà hac ea. par. cap. 6. n. 2. 3. 4. & 5.

32 Quid autem dicendum sit de ijs, qui visitant de nocte, scilicet intra hebdomadam. Dic quod sine dubio satisfaciunt, cum appellatione diei veniat etiam nox, cum qua dies naturalis 24. horarum perficitur: secus tamen, si in Bulla diceretur, diurno tempore. in Bulla tamen nostra dicitur, in quocumque die vel diebus. in eo. §. vt autem. ita Alf. post Enriq. Gratia. & Fabri. quos allegat, de offi. Confess. &c. par. 1. q. 2. n. 161.

33 Ad septimum. An requiratur ingressus Ecclesiæ, vel sufficiat accessus. Dico, quod qui potest ingredi, debet Ecclesiam intrare, quia visitatio completa fit intra Ecclesiam iuxta naturam verborum, alias diceretur quis visitare muros Ecclesiæ, vel Ecclesiam ab extra, seu fabricam Ecclesiæ.

34 Si autem non potest ingredi corporaliter, puta præ hominũ concursu, & multitudine, vel quia clausa est ianua, si oret ante fores Ecclesiæ, satisfacit, hic enim censetur iuxta communem loquendi modum Ecclesiam visitare: & hoc procedit etiam, si dicatur in Bulla, vt oret in Ecclesia. ita Bonaci. de sacram. disp. 6. q. 1. punc. 5. n. 26. & seq. Alf. par. 1. n. 162.

35 Secus si posset intrare, & nollet, sed oraret foris, quia is non esset tutus, vt post Suarez firmat Alf. par. 1. n. 163. & seq. nisi forte id ex simplicitate, uel omnino sine malitia contigeret: & est de mente doctissimorum Virorum.

36 Sed quid, si expresse concederetur indulgentia ingredientibus in Ecclesiam. Dic, quod tunc requiritur ingressus, quia verba accipienda sunt, vt sonāt, & subdit ibidem idem Alf. sub d. n. 164. quod intelligo etiam si non posset, vt aliquid amplius verba illa operentur.

37 Ad Octauum, an possit deputari Cella. Credo, quod non, si talis sit, vt nec auctoritate Episcopi fundata sit, nec in ea percipiantur sacramenta, neq; sit consecrata, licèt hoc vltimum supleatur per licentiam Episcopi, & tantò magis per benedictionem eius, vel ipsius auctoritate facta in eius fundatione: hæc enim videntur requiri ad esse Ecclesiæ materialis, vt ex traditis per Syluest. in ver. Ecclesia. 2. n. 1.

38 Sed quid, si sit aliqua Cella, in qua aliquando sit solitum celebrari? Casus esset disputabilis. Ego autem semper abstinerem à deputatione huiusmodi Cellæ, tùm quia non est tutum, quod veniat appellatione Ecclesiæ; tũ quia Cellæ regulariter sunt ità angustæ, vt populum confluentem recipere non possint, saltem

sine

Digitized by Google

ſine aliquo tumultu, vel ſcandalo, à quo abſtinendum eſt, vt c. placuit. de conſec. diſt. p. & c. 2. de no. ope. nunc. imo cum ſcandalo nihil agi deberet. c. nihil prodeſt. ex. de præſcript.

39 Sed quid de Oratorio priuato, etiam quod in eo interdum celebretur? puto reſpondendum negatiuè, cum non veniat propriè appellatione Eccleſiæ, vt veniunt Oratoria publica: undè functio illa celebrationis eſt potius ex priuilegio, quam de iure, unde priuilegia non debent egredi fines ſuos, ut c. porro. & c. ſane, de priuil.

40 Ad nonum. An primum opus ſit Viſitatio, an potius Oratio. Hæc materia tacta eſt ſupra p. 2. §. ut autem not. 5. & 6. per tot. uide ibi.

41 Ad decimum. An ſit neceſſaria omnium operum iniunctorum ſubordinatio, uel ſufficiat, ſi omnia adimpleantur non ſeruato ordine litteræ. Reſp. non eſſe neceſſarium, ſed ſufficere adimplementum omniũ quoquo modo fiat, ut in ſimili dixit Alf. p. 1. n. 158. quo ad uiſitationem Eccleſiarum Vrbis in Anno Sãcto, in quo non uidetur diuerſa ratio circa ſubordinationem operum iniunctorum, ergo nec diuerſa diſpoſitio. uulg. iur. Subordinatio enim non datur pro forma, quia ſi daretur, eſſet aliter dicendum iux. trad. per Euerar. in ſuis locis legal. in loco ab ordine, præcipuè n. 2. & quod non detur pro forma, facit tenor Breuis ſecundi Iubilei eiuſdem Sanctiſſimi, in quo aliter ſubordinantur opera, ut uideri poteſt infra par. 4. cap. 6. Si enim in hoc eſſet danda aliqua forma pro aquiſitione Iubilei, ea conſiſteret in ipſo adimplemento omnium iniunctorum, ut aliqualiter tangitur ſupra par. 2. in expoſitione Bullæ uerſ. Hic eſt tit. &c.

42 Benè tamen verum eſt, quod ſaltem de conſilio, vltimo loco eſt facienda ſacra Communio, maximè quia eſt ultimum opus iniunctum in Bulla. ad hanc materiam uide tradita infra hac ea. par. 3. cap. 6. à p. n. uſque ad 6. incluſiuè.

43 Ad undecimum, an proceſſio, ſeu proceſſiones ſint neceſſariò faciendæ. & dico, quod aut loquimur de neceſſitate præcepti, aut de neceſſitate ualoris Iubilei, ſeu aquiſitionis Indulgentię. Si de prima neceſſitate, Reſp. affirmatiuè. quia Summus Pontifex id mandat, quod intellige quoad Epiſcopos, Archiepiſcopos, & alios Ordinarios locorum, quia ad id tenentur, imò etiam ad indicendas proceſſiones ſuis Clericis, & populis, ut clarè habetur in Bulla in §. mãdantes. & uide ſupra par. 2. in d. §. mandantes. not. 3. ubi latè de hoc.

Digitized by Google

de hoc.

44 Non autem quò ad Clerum, & populum; quia verba sunt directa in Ordinarios, non in subditos, vnde si Ordinarius non indicit processiones, Parochi ipsi non tenentur eas facere: si autem indixerit, tenentur de necessitate præcepti, non de necessitate iubilei, quia supletur per visitationes Ecclesiarum, nam visitatio est vnum ex sex operibus iniunctis vt supra in princ. huius cap. & vide, quæ traduntur infra n. 46. vsque ad 50. inclusiuè, & ex his patet responsio ad quæsit. n. præced.

45 Quæri hic posset, quot processiones sint faciendæ, & dic quod duæ, quia duæ factæ sunt in Vrbe, vt in Bulla expresè habetur in §. quapropter; nam ad similitudinem processionum Vrbis mandat processiones fieri per loca extra Vrbem, vt in §. mandantes, ibi, Cleroquè, & populo sibi subiecto solemnes processiones, sicuti Nos in præfata Vrbe indiximus, indicant, & celebrent. quæ verba sunt generalia Clero, & populo, sed sicut Clerus, & populus Ciuitatis comprehenditur, ita Clerus, & populus totius Diœcesis comprehensus intelligitur, non tamen de sui natura, sed per identitatem rationis: Vnde nota, quod malè faciunt Ordinarij illi, qui id non curant saltem extra Ciuitatem, siquidem in Ciuitate iuuat credere, quod omnes obediant indicendo, & celebrando: sed per Diœcesim si celebrare per se non possunt, saltem indicere debent, & celebrare per suos ministros, & offitiales, vel saltem per Rectores ipsos Parochialium Ecclesiarum.

46 Si autem Parochi ipsi processiones agerent, etiam quod Ordinarij id non indicerent, benè facerent, quia id esset conforme menti Sanctissimi.

47 Sed an qui deputat vnam tantum Ecclesiam teneatur facere plures processiones, vel sufficiat vnam tantum celebrare. Dico, quod si Episcopus mandet fieri plures processiones, duas facere debet in sua Ecclesia, hoc est incipere ab Ecclesia parochiali, & ad eandem redire: si plures Ecclesias habeat intra Parochiam, poterit easdem terminare ad arbitrium: rationabile tamen puto habere in hoc delectum Ecclesiarum, ne deputetur aliqua Ecclesia longinqua à maiori parte populi, vel sita in locis arduis, vel similibus: si autem etiam deputet Ecclesiam extra Parochiam, faciat idem. Ad hoc tamen vide, quæ dixi supra hoc eo. cap. n. 18.

48 Si autem Episcopus non mãdet fieri plures processiones, sed ordinet fieri processiones sic indefinitè, & in numero plurali,

dico

Digitized by Google

dico idem, si id iniungat vni Parocho, seu singulis Parochis: si verò pluribus simul, vt fieri solet in litteris ad Vicarios Foraneos, quæ in giro transmittuntur ad singulos Rectores eiusdem Regionis, seu Vicariatus, tunc illa vox pluralis (processiones) potest resolui in singularem ita vt vnusquisque facere debeat suam processionem, quæ singula vnita faciunt pluralitatem, & clarum est, quod vna pluralitas germinat plures singularitates, vt l. falta. §. fi. ff. de cond. & demonst. tutius tamen puto fieri duas.

49 Si autem non mandet, sed tamen implicitè id iniungat, puta dicendo, quod deputentur Ecclesiæ, & alia fiant, vt in Bulla, vel quid simile, tunc credo, Rectores teneri saltem facere vnam processionem, licèt melius esset facere duas ad exemplum Summi Pontificis in Vrbe, videlicet feria quarta, & sexta primæ hebdomadæ, vt in eadem Bulla de qua supra par. 2. §. mādantes, maximè si ex eo coniiciunt maiorem fidelium suorum profectum, & deuotionem. Et licèt verba Bullæ dirigantur in Ordinarios, tamen Ordinarij ex quo id iniungunt siue implicitè, siue explicitè, debent intelligi iuxta Bullam de iniunctione duarum processionum, vt conformentur dicto §. mandantes, prout debent.

50 Pro conclusione tandem dico processiones, cum non sint de essentia iubilei, siue indulgentiæ, non esse ad id necessarias, sed tamen valde congruas ad magis excitandum populum ad deuotionem, & ad vnitè orandum, quæ congruitas quanto magis accesserit ad exemplum Vrbis, tanto magis erit conformis menti Instituentis, cui semper tutius erit adhęrere, maximè quia stante iniunctione Superioris, erit actus obedientiæ, in quo male faceret, qui deficeret. conferunt tradita per D. Basilium const. moral. cap. 23. ibi, *Si Paulus Apostolus Christianos, & Dei filios iubet subditos esse non tantum ijs, qui humana lege imperandi potestatem acceperunt, sed etiam infidelibus, & impijs; qualis obedientia ei debebitur, qui à Deo ipso constitutus sit Præses, & à legibus Diuinis potestatem accepit?* vt ref. Bass. de Cur. anima. par. 3. cap. 14. vbi abundè agit de obedientia Curatoris erga Episcopum suum; & hæc tanto magis procedunt, quanto magis si non de necessitate indulgentiæ, saltem de necessitate pręcepti sunt. vt supra n. 43. & 44.

51 Vnum addendum censeo, quod vbi plures Parochi simul conueniunt in functionibus publicis, vt fieri solet in terris, Castris,

ftris, & Pagis amplis, & numerosis, vbi populi plurium parochialium simul conueniunt, & vbi deputantur plures Ecclesiæ de communi consensu eorũdem Parochorum, vel de mandato Ordinarij, non puto dubitandum, quin duæ processiones, vt supra, fieri debeant ad similitudinem non solum Vrbis Romæ, sed etiam Ciuitatis, quæ caput est totius Diœcesis, in quibus clarum est plures populos, seu fideles plurium Parochialium interuenire, conuenit enim, vt membra conformentur capiti, maximè vbi est eadem ratio. facit illud Io: 13. Exemplum enim dedi vobis, &c. & l. ventre. in fi. ff. de aquire. hæred.

Et in his casibus, vbi plures Parochi simul conueniunt, plures etiam Ecclesias deputare cõuenit pro commoditate Parochianorum, siue sint etiam Regulares, siue Oratoria publica etiam quod sint extra parochiam aliquorum ex illis, quia id fit de communi consensu, vt tactum est supra n. 18.

Non tamen esset incongruum, vt quo ad parochianos vnius Parochiæ iniungeretur visitatio illius Parochiæ tantum, & Ecclesiæ Regularis, & Oratorij publici, vel Ecclesiç alicuius simplicis beneficij, siue sint intra Parochiam, siue extra, ita vt vnusquisque visitaret Ecclesiam suam parochialem, & alias non parochiales absque visitatione parochialis non suæ, licet processiones factæ essent ad omnes parochiales, & ad alias non parochiales, & hoc totum pro maiori commoditate, & minori cõfusione plurium, & diuersorum parochianorum, uel alias ad arbitrium Parochorum simul, nisi ab Ordinario præfigatur aliquod particulare in hoc, quod erit omnino seruandum.

An autem in casu deputationis plurium Ecclesiarum sufficiat unam tantum earundem uisitare dixi supra hoc eo. cap. n. 29.

52 Ad duodecimum. An qui interuenit processioni debeat necessariò uisitare Ecclesiam, seu Ecclesias extra processionem. & Resp. quod non, si tamen in processione satisfecit mẽti summi Pontificis, hoc est si fructuosè uisitauit, uidelicet cum deuotione, & debita oratione, quia si alio fine, quam aquirendi iubileum, uel alia simili intentione ut supra hoc eod. cap. à n. 1. usque ad 10 inclusiue tactum est, interuenit processioni, nihil fecit, & uide ibi de hoc abundanter, & adde infra n. seq.

53 An autem necessarium sit interesse processioni, ex iam dictis apparet, quòd non, quia sufficit deuotè uisitare, quæ uisitatio tã in processione, quam extra fieri potest: & non mirum quod non

sit necesse ad aquisitionem iubilei interesse processioni, quia propriè in executione operum non iniungitur processio, sed deuota visitatio, vndè si deuotè interfuit, plenè satisfecit, processio enim est quędam solemnis visitatio, quæ si fiat cum suis requisitis, non est necessariò iteranda; non tamen necessaria, vt dictum est, quia supletur per deuotam visitationem. ad trad. per Alf. de leo. d. tract. de offi. & pote. Confess. par. 1. sub. n. 173. & par. 2. n. 129. post Graff. ab eo allegatum.

54 Et quod interesse processioni non sit necessarium patet etiam ex hoc, quod qui iubileum consequi volunt secunda hebdomada, clarum est, in ea non fieri processiones, cum nec etiam in Vrbe factæ sint, & tamen iubileum lucrantur etiam qui secunda hebdomada opera iniuncta adimplent, inter quæ non est processio, vt dictum est.

CAPVT SECVNDVM

Quo ad 2. cap. de deuota oratione, vt materia magis elucescat, erunt videnda sex.

Primò. Ex quibus verbis Bullæ iniungatur deuota oratio, & quid si nullo modo in Bulla iniungeretur.

2. Quid sit oratio, & quotuplex.
3. Qualis debeat esse, & quanta.
4. Quomodo fieri debeat, vt deuota dicatur.
5. An explicitè debeat orari, vt in Bulla, an potius sufficiat orare iuxta mentem Pontificis, & sic implicitè, & relatiuè.
6. Vbi pręcipuè facienda sit oratio, & quando.

CAPVT II.

SVMMARIVM.

Ex quibus verbis Bullæ iniungatur deuota Oratio. n. 1.
Quid si non iniungeretur. n. 2. & sub n. 14.
Oratio quid, & quotuplex. n. 3. & 4.
Quot, & quæ sint partes integrales Orationis, n. 3.
Qualis esse debeat oratio occasione iubilei, & quanta. n. 5. 6. 10. & 11.
An vocalis sufficiat sine mentali, & è contra. n. 7. & 8.
Quanta debeat esse Oratio. n. 9.
Quomodo fieri debeat. n. 10.
In Oratione sufficit virtualis intentio. sub n. 11. in fi.
An sufficiat implicitè iux. mentem S. P. orare. n. 11.
Oratio vbi facienda sit. n. 12. & 13.
Quando fieri debeat. n. 14.

1 ET quo ad primum, ex quibus verbis iniungatur deuota oratio. Resp. quod per verba illa (pias ad Deum preces effundant, vt suprà par. 2. §. vt autem. pias enim preces effundere est idem, quod deuotè orare

Digitized by Google

orare, vt ex verbis Suarez. relatis suprà hac ea. par. 3. cap 1. n. 8. vbi pia visitatio ponitur pro deuota; & ad materiam vide, quæ traduntur supra cap. præced. n. 9.

2 Si autem in Bulla nullo modo iniungeretur, adhuc aliqua oratio in ipsa visitatione fieri deberet; quod intellige quo ad aliquam orationem, non quo ad directionem. vt traditur infrà quo ad sextum n. 14. vers. vt autem, & vers: si autem.

3 Quo ad secundum, quid sit oratio, & quotuplex. Dico, quod oratio est petitio decentiũ à Deo cuius partes integrales sunt quatuor, videlicèt, eleuatio mentis in Deum, petitio, siuè postulatio; obsecratio, idest ob sacra petitio; & gratiarum actio, siuè laus. ad trad. per Syluest. in sũma. in ver. oratio. in princ.

4 Et hæc est duplex, videlicèt, mentalis, & vocalis, de quibus latè per eundem Sylu. vbi suprà q. 6. & Alf. de off: & pote. Confess. par. 1. q. 3. n. 169.

5 Quo ad tertium, qualis debeat esse, & quanta. Et quo ad qualitatem dico, quod in Bulla non iniungitur, ideò est arbitraria, scilicèt quo ad formam, itàut siuè sit mentalis, siuè vocalis, sufficiat; & siuè dicatur oratio Dominicalis, & Salutatio Angelica, siuè quæcunque alia: & hoc in quantum oratio est eleuatio mentis in Deum, vel obsecratio, vel gratiarum actio, siuè laus, vt supra dictum est quo ad secundũ n. 3.

Quatenus autem est petitio, seu postulatio, debet fieri iuxta mentem Pontificis, vt infra dicitur n. 11.

6 Et dixi arbitraria, quia Summus Pontifex non iniungit, vt certæ preces recitentur: si enim iniungeret, id esset seruandum: & licèt regularitèr in processionibus recitentur Litaniæ Sanctorum, non tamen id datur pro forma.

7 Et quod dixi de vocali, intellige quatenus est iuncta mentali, aliàs si mentalem excluderet, nihil esset, iuxtà illud Apost. 1. ad Cor. 14. si orem lingua, mens mea sine fructu est. est enim verum, quod communitèr dicitur, Dum cor non orat, in vanum lingua laborat.

8 Et quod dixi de mentali tãtum, intelligo de rigore sufficere: laudo tamen, vt addatur etiam vocalis, primo quia per eam quis acrius excitatur ad deuotionem. 2. quia vocalis seruit deuotioni iam excitatæ. 3. quia non solùm corde, sed etiam corpore debitæ seruitutis obsequium Deo reddimus. ex trad. per Alf. vbi suprà n. 169. 170. & 171. & ex Syluest. ver. oratio q. 6. Ex quo potest addi quartum, quod est, vt vocalis intentionem custodiat,

ne va-

Digitized by Google

ne vagetur: & quintum propter redundantiam ex vehementia affectus: ex quibus videtur apertè, quàm sit vtilis vocalis oratio, iuncta tamen mentali, quæ sola esset sufficiens, vt dixi, nisi S. P. iniungeret vocalem, quæ iniunctio in præsenti iubileo nō extat.

9 Quanta autem debeat esse oratio, dic quod ad arbitrium cuiusque cū ex Bulla nō eliciatur: indefinitè enim iubetur, ideò sufficit quælibet minima oratio secūdum Suarez, quem sequitur Fabri. qui subdit, quod deberet saltem quis recitare quinquies orationem dominicam, & Salutationem Angelicam. & adde Frat. Alf. de Oruiet. vt ref. Alf. de Leo. vbi sup. d. p. 1. q 3. n. 172. & hoc intelligo quo ad qualitatem, & quantitatem orationis. Quo verò ad petitionem ipsam, seù finem ad quem, vel pro quo fit oratio, dic vt infra ad quintū. n. 11.

10 Ad quartum, Quomodo fieri debeat oratio, vt deuota dicatur Dic, quod intrinsecè deuota dicitur, si deuotè fiat, vt dictum est supra de visitatione, quæ deuotè fieri debet. vide supra hac ea. par. 3. cap. præced. n. 2. & 3. & seqq.

Extrinsecè autem deuota dici potest, si fiat aperto capite, genibus flexis, manibus iūctis, vel expansis brachijs, capite inclinato, & humili, cum osculo terræ, vel similibus, vt tangit Hessellius in suo Cathech. cap. 10. quæ conditio etsi vtilis sit, non tamen est necessaria; vnde qui ob aliquam causam non potest hanc conditionem, vel conditiones adimplere, satisfacit orando sedens, vel stās, vel capite cooperto, &c. vt post eum subdit Alf. de Leo. vbi supra n. 177. Et pro conclusione dic, quod sufficit quo ad intrinsecam deuotionem, si maior pars orationis facta sit ob bonū finem, vndè peccatum veniale cōmissum cum oratione propter vagationem mentis, vel oculorum, vel aliud distinctum ab actu orandi, non impedit, quin satisfiat huic oneri, vt post Rodriq. firmat idem Alf. par. 2. n. 140.

11 Ad quintum, an explicitè debeat orari, vt in Bulla, videlicèt petendo à Deo expresè illa quinq; de quibus supra in §. vt autem. not. 6. Et breuitèr dico, quod non est necesse orare explicitè, vt in Bulla, videlicèt dirigendo mentem explicitè in talem causam, qualem requirit Bulla, quæ est quintuplex, vt benè aduertitur supra d. not. 6. sed sufficit orare simpliciter iuxta mentem Summi Pontificis, & continentiam Bullæ, vt benè post Zenar: & Botton. tenet idem Alf. par. 1 n. 168. imo subdit ex DD. per eum allegatis, quod sufficit, si quis proponat velle orare iuxtà mentem S. P. quamuis deinde actua-

Digitized by Google

actualiter non meminerit, dum orat, & sic sufficit virtualis intentio.

12 Ad sextum, Vbi præcipuè facienda sit oratio, & quando, & quo ad locum, dic indubitantèr in Ecclesia, vel Ecclesijs designatis, vt per tradita supra par. 2. d. §. vt autem, sub d. not. 6. vers. an verò, vel saltem ante fores Ecclesiæ, si non patet ingressus, vt tetigi hac par. 3. cap. præced. ad septimum n. 33. & seqq.

13 Quod autem locus orationis sit Ecclesia deputata non videtur dubitandum, cum, licèt in Bulla non sit expressum, sed tacitè intelligatur, id tamen exprimatur in Summario typis edito Romæ in typographia R. C. ibi post vers. Che visitaranno, &c. & iui pregaranno deuotamente, &c. & quia liber librum aperit, Summarium tanquam magis authenticum, & factum in Vrbe, potest melius aperire intellectū Bullæ, & vide, quæ notantur supra par. 2. §. vt autem, not. 6. vers. an verò, & vers. vnum putò. Et quia Summaria Romæ impressa, & per Orbem transmissa singulariter attenduntur, valdè laudabile existimarem (ne dixerim necessarium) ea prius diligenter reuideri, an essent omnino conformia textui Bullæ antequam exponerentur, ne aliqua negligentia, vel incuria notari contingeret fortè non sine scandalo. Vide, quæ infra dicuntur par. 4. c. 6. n. 25. & argue ad prædicta, quę habentur eo. c. 6. n. 12.

14 Quando autem fieri debeat oratio; clarum est, quando visitatur, quia visitationi censetur iniuncta, & illi inhærere ita, & taliter, vt etiam si non esset iniuncta, tamen subintelligeretur, vt ex traditis per Suarez tom. 4. disput. 52. sect. 1. n. 4. in fi. cuius formalia verba sunt hæc. Vnde talis visitatio non videtur separabilis moraliter ab aliqua oratione, & deprecatione, quæ in tali loco fiat, quamuis modus, & quantitas eius non determinetur, sed relinquatur arbitrio facientis. hæc ille. quod in fortioribus terminis procedere debet in casu nostro, in quo oratio iniungitur. Vt autem aliquid amplius operetur expressum, quam tacitum, dicendum est hanc expressionem operari directionem intentionis, de qua dictum est supra n. 11.

Si autem tale onus non esset expressum, adhuc intelligeretur iniunctum, vt dictum est, in ipsa visitatione, non quidem quo ad directionem, sed quo ad aliquam orationem, quod est valdè notandum, & vide Alf. de leo, vbi suprà par. 1. n. 166. & 167.

Sed quid, si intrà hebdomadam, quando quis visitauit Ecclesias, omisit orationem, num supplere possit die Dominico?

Respon-

Respondeo de rigore non posse, sed tamen de æquitate forte secus, stante declaratione Greg. xiij. de qua infrà cap. 4. sub n.8.

CAPVT TERTIVM.

Quo ad ieiunium, quod est vnum ex sex operibus, seù oneribus iniunctis, videndum erit de octo.

1. Quid sit ieiunium.
2. Quotuplex.
3. Quibus diebus ieiunandum.
4. Quid operetur consuetudo loci quo ad ieiunium,
5. Qui teneantur ad ieiunium, & qui excusentur. & an ætas, vel causa iusta excuset quoad ieiunium iniũctum in iubileo.
6. An omnis fractio ieiunij impediat fructum iubilei.
7. An ieiunium tempore iubilei commutari possit in alium diem, uel in aliud opus.
8. Quæ sit hora comedendi in die ieiunij.

CAPVT TERTIVM.

SVMMARIVM.

Ieiunium quid sit. n. 1.
Quotuplex n. 2. 3. 4. 5. & 6.
Quod, & quale ieiunium impropriè, & spiritualitèr sumptum. sub d. n. 2.
Quid, seù quale sit ieiunium naturæ. n. 3.
Quis dicatur frangere ieiunium naturæ. sub eo. n.
Quid, seù quale ieiunium Ecclesiæ. n. 4.
Ieiunium generale quid, & quale. n. 5.
Ieiunium an fieri possit die Dominico. n. 7
Et an tali die iniungi possit à Confessario in pœnitentia. n. 8.
Aduerbium (studiosè) quid significet. sub eo. n. 8.
An possit quis vouere ieiunium die Dominico. n. 9.
Vigiliæ cadentes in Dominicam, fieri debent præcedenti sabbatho. sub eo. n. 9.
Aliqua fieri possunt de consilio, quæ tamen præcipi non licet. sub d. n. 9.
Quibus diebus ieiunandum occasione iubilei. n. 10.
Consuetudo loci attendenda, & quid operetur circa ieiunium. n. 11. 12. & 13. & quid quo ad iubileum. n. 16.
Qui cibi vetiti in die ieiunij. d. n. 12.
An sit aliquis textus, qui præcipiat ieiunium. sub n. 13. & 14.
Consuetudo est optima legum interpres. sub d. n. 13.
An peccet mortalitèr, qui contra ius, vel consuetudinem vescitur cibis prohibitis in die ieiunij. n. 14. & 15.
Ieiunium Christianorum an sit de iure Diuino, vel naturali, an positiuo Ecclesiastico. sub d. n. 14.
In fractione ieiunij requiritur licentia Ecclesiæ. sub d. n. 15.
Qui teneantur ad ieiunium ex vi præcepti. n. 17. & 19.
A quo qui excusentur. n. 18. & seqq. vsque ad 29.
Quis dicatur senex. n. 19.
Quæ ætas excuset à ieiunio. n. 18. & 19.
Senectus est morbus incurabilis. sub d. n. 19.
Impotentia excusat, & an requiratur fisica, aut sufficiat moralis. n. 20. vbi quæ sit impotentia fisica, & quæ moralis,

Femi-

Digitized by Google

Caput III.

1 ET quo ad primum quid sit Ieiunium. Dico, quod ieiunium est subtractio prandij, nam tempore ieiunij fit benedictio cenæ ad illam vnicam comestionem, quæ fit circa meridiem, ita disponente Ecclesia, vt in Breuiario in fi. vbi agitur de benedictione mensæ, & ex Graff. allegato per Syluest. ver. ieiunium, sub n. 3. & vide infra num. 4.

2 Sed vt melius hæc materia intelligatur, veniamus ad secundum quæsitum videlicet quotuplex sit ieiunium. Et dico, quod est quadruplex, quia quatuor modis accipi potest. Primo pro abstinentia à vitijs, & fuga peccatorum, vt benè docent Sancti Aug. Basil. & Thom. allegati per Bonaci. de præcept. disp. vl. q. 1. punc. 1. n. 1. Sed hoc modo ieiunium sumitur impropriè, & spiritualiter secundum Syluest. ver. ieiunium in princ.

3 Secundo modo pro abstinentia à qualibet re sumpta per modum cibi, & potus: & hoc dicitur ieiunium naturæ, siue naturale, quod frangitur, quoties cibus aliquis, vel potus transmittitur ad stomacum. Bonaci. & Syluest. vbi supra. Et quod dixi per modum cibi, & potus, extēde etiam si sit per modum medicinæ, quę vel per bucellas, vel per potionem in stomacum mittitur, quia talis frangit hoc ieiunium naturæ. vt benè declarat idem Bonaci. de Eucharis. disp. 4. q. 6. punc. 2. n. 8. Secus tamen si per modum saliuę aliquid trajciatur in stomacum, vel si os abluendo paruum aquæ præter intentionem, vel reliquias cibi, quę hesterna die dentibus adhęserunt, vel sanguinem ex gengiua, vel ex capite in os descēdentem, aut aliquas pluuiæ guttas inaduer-

Digitized by Google

inaduertenter quis recipiat in stomacum, aut per modum respirationis attrahat paruum terrę aut pulueris, aut muscam volantem in os apertum, aut cum iusculum degustando aliquid contra voluntatem degluriat: isti enim non dicuntur frangere ieiunium naturale, quia nihil sumunt per modum cibi, vel potus, aut medicinæ, quod propriè fit quando ore accipitur ab extrinseco, & propria actione vitali transmittitur ad stomachum edendo, vel bibendo. ita Bonac. de Euchar. vbi supra sub n. 6.

Sed quo ad degustantem iusculum, vel quid simile semper consulerem abstinere à communione saltem ob reuerentiam, quia est actus voluntarius illa degustatio, quę est valde periculosa, ne per eam aliquid materiæ degustatæ transeat in stomachum. quæ omnia benè no. pro ieiunio naturæ, de quo tamen hoc loco non est agendum.

4 Tertio modo pro ieiunio Ecclesiæ, vel Ecclesiastico, quo pręcipitur vnica comestio in die, hoc est à media nocte præcedente, ad mediam vsque futuram, seu sequentem secundum Nau. in man. cap. 21. n. 11. & sub 12 & Bonac. de precep. d. disp. vl. q. 1. punc. 1. sub n. 1. vbi testatur de communi, & de hoc hic erit agendum, & definiri potest, vt sit voluntaria abstinentia à cibo iuxta præscriptum Ecclesiæ, vel receptum consuetudinem. Bonaci. vbi supra d. punc. 1. n. 4.

5 Quarto modo ieiunium sumitur pro parsimonia, & temperantia, quæ in hoc posita est, vt non plus cibi, & potus sumatur, quā naturalis ratio dictet, vt tradit idem Bonaci. d. n. 1. & hoc ieiunium potest dici ieiunium legis naturalis, & est quoddam ieiunium generale vt per Syluest. d. ver. ieiunium. n. 2.

6 Et reassumendo ieiunium tertio modo, prout est ieiunium Ecclesiæ, de quo hic agimus, potest etiam diuidi secundum causas, vt sit duplex, scilicet ieiunium luctus, & ieiunium lætitiæ, siue exultationis. Primum est cum amaritudine peccatorum, & præsentis vitæ, & deseruit ad satisfaciendum pro peccatis pręteritis, vel ad cauendum futura: Alterum verò ad mentem in Diuina leuandam, vt innuit Sylu. d. n. 2.

7 Et hic quæri potest, an ieiunium fieri possit in die Dominico: & de ieiunio lætitiæ non est dubitandum, præcisa tamen omni superstitione, vel scandalo: De ieiunio autem luctus videtur aliqua dubitatio; sed tamen quod etiam hoc possit fieri tenet Nau. in man. cap. 21. n. 27. qui dicit posse fieri ob salutem, studium domandam carnem, & alios bonos fines, & quod ex hoc quis

Digitized by Google

meretur, & sequitur etiam Bonaci. d. q. 1. punc. 5. n. 3. vbi reddit rationem .s. quia ieiunio colitur Deus, vndè merito fas est die Dominico ieiunare, cum fiat actus, qui concernit diuinum cultum; & sic etiam fieri potest ad domandam carnem, & sensum, ex quo sequitur, quod etiã ieiunium luctus sub hac ratione comprahendi possit; quæ tamen intellige, dummodo non adsit scandalum, vel aliud peccatum, vt per eundem Bonac. vbi suprà, & quo ad peccatum conferunt etiam trad. hic infrà n. seq.

8 Hinc quæri potest, an à Confessario imponi in pœnitentiam peccatorum possit ieiunium die Dominico. & Resp. quod per modum consilij id fieri posse credo, si à penitente acceptetur: aliàs inuito Pœnitente non credo posse, quia talis iniunctio penitentię est contra tex. in c. ne quis ieiunet. de consec. dist. 3. & c. Sacerdos. 26. q. 7. & sic contra ritum Ecclesiæ propter lætitiam diei Dominicæ, quę est dies Resurrectionis Domini, vt c. si quis Præsbiter. 30. dist. & expresse in d. c. Sacerdos habentur hæc verba. pęnitentiam secundum legem iniungat. & paulò inferius subditur. Die Dominico nõ ieiunent, nam qui die Dominico studiosè ieiunat, non creditur esse Catholicus. vbi benè considerandum est illud aduerbium (studiosè) quod fortè potest interpretari, idest in cõtemptum, vt c. si quis tanquam 30. dist. Vel studiosè, idest superstitiosè. vt c. si quis Presbiter. ea: dist. est enim iux. hæresim Manicheorũ, vt ibi habetur. Vel studiosè, idèst singularitèr, seù studio singularitatis, videtur enim peccare superflo cultu, vt tradit Bonac. de Voto. disp. 4. q. 2. p. 4. n. 6. Hanc tamen vltimam expositionem non credo hic dari posse per verba, quæ subduntur, videlicèt non creditur esse Catholicus, quæ non adaptantur vltime expositioni, quia secundum Bonac. sub d. n. 6. per hoc ieiunium non peccatur plusquam venialiter.

9 Ex his videtur posse obijci, quod cum proximè dicta vera sint, hoc est die Dominico non licere studiosè ieiunare, exponendo illud studiosè pro superstitiosè, vel in contemptum, imò vel etiam studio singularitatis, in quo saltem peccatur venialitèr, sequitur, quod nec etiam licebit sponte, & ex deuotione ieiunare in die Dominico, cum semper possit quis suspicari, ne id fiat superstitiosè, vel ex contemptu, vel studio singularitatis: Cui tamen responderi potest, quod ieiunium consideratum in se est quid bonum, non mirum, si quis potest illud amplecti, imò, & vouere etiam die

Dominico, vt firmat Bonac. d. n. 6. est enim voluntarium, non coactum: sed si imponatur à Sacerdote in pęnitentia, habet vim præcepti, quod stantibus prædictis non videtur validum, cum expressè sit contra textum supra allegatum, & contra Ecclesiam, quæ præcipit, vigilias, quæ cadunt in diem Dominicam, fieri præcedenti die sabbathi, vt c. 1. & 2. de obser. ieiun. Nec est absurdum, cum plura fieri possint ex deuotione, seu etiam ex voto, cum tamen non possint præcipi, vt est notissimum in tribus consilijs, videlicet paupertatis voluntariæ, castitatis perpetuę, & obedientiæ in omnibus, quæ non sunt peccata. & de his quo ad secundum.

10 Ad tertium, quibus diebus ieiunandum. Dic, quod quarta, & sexta feria, & sabbatho tā primæ hebdomadæ, si in prima intendatur aquisitio iubilei; quā in secunda, si in secunda. Verba Bullę sunt clara in d. §. vt autem. ibi. omnes præterea 4. & 6. feria, & sabbatho eiusdem, vel alterius sequentis hebdomadæ ieiunent: hoc tamen intellige, nisi adsit aliquod impedimentum, ob quod opus ieiunij ritè commutetur, de qua materia vide infra. par. 4. cap. 3. per totum.

11 Quo ad quartum, Quid operetur consuetudo loci quo ad ieiunium. Et dico primo operatur, vt ieiunium fiat eò die, quo consuetudo loci seruat, puta vigilia s. Bartholomęi Romę fit die 24. Augusti, quia Festum celebratur die 25. eiusdem. idem fit etiam Vrbaniæ, quæ est patria mea, & in alijs locis citra flumen Isauri, quod vulgò dicitur Foglia. vltra autem dictum flumen versus Romandiolam, prout etiam in tota Romandiola, & alijs pluribus locis vigilia fit die 23. quia festum celebratur die 24. licet hoc fallit in aliquibus locis ex prædictis. In hoc ergò est seruanda consuetudo, vt in c. 2. de obser. ieiun. Idem dic de festo S. Matthiæ, cuius vigilia seruatur die ante, vnde attenditur festum, quod ferè vbiq; locorum celebratur die 24. Februarij, & in bissextili anno, die sequenti; & tamen Mediolani celebratur (si bene recordor) circa principium mensis eiusdem, & apud Grecos die 9. Augusti iux. annot. Baron: in Martirol. sub d. die 24. & sic de similibus.

Valde fortè expediret. Festa omnia, & vigilias reduci vniformitèr ad certos dies ab omnibus indistinctè obseruandos, cum in locis cōfinibus ex huiusmodi diuersitate ritus inconuenientia notabilia sequantur. & scio, quid dico. saluo semper, &c.

12 Secundo operatur, vt fiat etiam quo ad cibos iuxtà consuetudinem locorum. de iure autem com-

Digitized by Google

communi in die ieiunij sunt vetitæ carnes omni tempore: oua autem, & lacticinia in quadragesima tantum iuxta textum in c. denique 4. dist. & per illud Nau. in man. cap. 21. n. 15. post S. Thom. ab eo allegatum licèt autem textus prędictus loquatur de tempore à quinquagesima, & infra, tamen hodie incipit ieiunium quadragesimale à feria 4. Cinerum, non à feria secunda post Quinquagesimam, qua feria secunda Fratres Capuccini, & quamplures alij Regulares strictioris obseruantiæ incipiunt ieiunium, & benè, vt omnes Ecclesiastici facere deberent iuxta d. tex. saltem de consilio.

13 Quicquid autem sit de iure, hodie attenditur consuetudo locorum, vt tactum est, videlicèt, vt in diebus ieiuniorum abstineatur non solum à carnibus, sed etiam ab ouis, & lacticinijs, vbi talis consuetudo est, etiam extrà Quadragesimam. Vbi autem non est, seruanda est ea, quæ viget à quadraginta annis citra iux. Nau. vbi supra; vbi autem nulla est consuetudo, vt in Orbe nouo, & terris de nouo repertis, seruandum est ius commune, vt supra, vt per eundem Nauar. ibi subditur.

Et re vera consuetudo est optima legis interpres, & sicut potest legem inducere, ità etiam potest abrogare, vt tradit Bonac. de præcept. Ecclesiæ disp. vlt. q. 1. punc. 2. n. 2. vbi tradit, in iure, excepto Quadragesimali tempore, nullum textum haberi, qui sub mortali obliget à lacticinijs abstineri, ergo solum inspicienda est locorum consuetudo iuxtà etiam tradita per Sylu. Less. Valen. & Reginal. per eum relatos, & alios communiter.

14 Ex his sequitur, eum, qui sine causa iusta, vel dispensatione vescitur cibis vetitis in die ieiunij, & sic facit contra ius commune, vel consuetudinem loci, peccare grauiter, vt per eundem Bonac. vbi supra, id est mortaliter, vt per Nau. d. cap. 21. sub n. 11.

Quod limita non procedere in quantitate valde modica iux. Bonac. vbi supra n. 2.

Nec obstat, quod nulla lex Pontificia, nec Concilium statuat ieiunia per verba præceptiua, quia tota Ecclesia id pro pręcepto accepit, vt firmat idem Nau. vbi supra post D. Hier. & D. Apollon. per eum relatos, vnde clarè sequitur, quod omne ieiunium Christianorum est institutum iure humano, & sic positiuo Ecclesiastico, non autem Diuino, nec naturali, vt idem Nau. concludit ibi n. 12. & latè per Bonac. d. disp. vlt. q. 1. pun. 5. n. 1.

15 Quod autem dixi in limitatione trad. per Bonac. de quantitate valde modica, puto intelligendum

ligendum esse cum grano salis, nec vnquam laudarem, imò nec excusarem à peccato mortali eũ, qui etiam in modica quantitate cibum vetitum sumeret per modum cibi sine causa: secus autem si cum causa, & quantitas esset valde modica, vt supra puta si fiat per modum degustationis ex officio, vel simili causa: quando autem sumitur propter ægrotationem ex voto Medici, vel ex necessitate, casus non est disputabilis, quia vtique etiam cibi vetiti comedi possunt, maximè quando etiam concurrit licentia Ecclesię, prout fieri debet, quando potest, saltem tempore quadragesimali, vt communiter etiam seruatur.

16 Ex iam dictis sequitur, quod qui ieiunat, vt lucretur iubileum, si ieiunat in Quadragesima, debet abstinere tàm à carnibus, quàm ab ouis, & lacticinijs, quia hoc est de iure, & consuetudine locorum generalitèr. si tamen fortè alicubi seruetur alitèr sciente, & tolerante Summo Pontifice, & non alitèr, satis fiet seruando consuetudinem.

Qui verò extrà Quadragesimam, tunc satisfacit ieiunando iuxtà consuetudinem loci, & sic intrat dictum. glo. in c. illa. 12. dist.

Cum fueris Romæ, Romano viuito more,
Cum fueris alibi, viuito sicut ibi.

Quod habet locum etiam in exteris, si reperiantur in loco, vbi est consuetudo, quia est localis, non personalis, vnde cõpræhendit omnes existentes in eo loco, etiam quod non sint de eo loco, & est clarissimum, & tradit etiam Alf. de pote. Conf. &c. par. 2. n. 142.

17 Ad quintum, qui teneantur ad ieiunium. Hic est benè insistendum, vt hæc materia tutius possideatur, Vndè ordinatè procedendo, Primo videndum erit de ieiunio ex vi præcepti, & postea de ieiunio, quatenus iniunctum est in iubileo.

De ieiunio ex vi præcepti, dico ad illud teneri omnes, qui de iure, vel de facto non excusantur: cognito autem, quinam excusentur, erit etiam cognitum, qui ad id teneantur. arg. tex. in c. hospitalium. in vlt. ver. 32. dist. cum concor.

18 Excusantur autem minores vigesimo primo ãno nõ completo, vnde qui compleuerũt, tenentur. Bonaci. de præcept. disp. vltima, q. 1. punc. 6. n. 1. & punc. vlt. n. 6. vbi n. 7. vide de eo, qui excepit vigesimum primum annum in die ieiunij, an eo die teneatur ieiunare, & resoluit non teneri non adhuc completa hora, quæ complet 21. annum: ea verò completa, tenetur, dummodo ieiunare possit, nec antea susceperit plures refectiones. vide ibi.

Digitized by Google

de ibi.

19 Item Senes septuagenarij, & hoc est communitèr receptum, & nullam habet dubitationem. idē Bonaci. vbi supra d. punc. vlt. n. 4.

Sed quid de senibus sexagenarijs tantum? hi enim sunt propriè, & verè senes, quia talis ætas est senectus, quæ (vt clarum est) est morbus incurabilis. Bonac. vbi supra n. 4. post multos, quos allegat, existimat tales non esse exemptos à ieiunio, si sint robusti, & fortes: si autem dubitetur, an sint tales, dicit non teneri.

Sed (pace tanti Viri) ego puto de rigore indistinctè non teneri, quia licet quidam senes in ætate sexagenaria robusti videantur, negari tamen non potest naturam iam prolabi, & celeritèr ad interitum tendere, & ideò eorum natura adminiculo cibi frequētius sumpti adeò indiget, vt non tam præsenti statui, quā futuro consuli expediat, ne cibo suis temporibus citato, natura destituta citius corruat, viresq; omninò deficiant, vt in terminis, & ex professo tenet doctissimus Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 32. n. 17. vbi idem concludit tā de masculis, quam de fœminis, licèt videatur secundum multos diuersa ratio.

Opinioni autem Sanch. quod sexaginta ætatis anni completi excusent simplicitèr à ieiunio, ego libentèr, & indubitantèr adhæreo non solùm propter auctoritatem tanti Viri, & per rationes ab eo adductas, quas supra in parte tetigi, sed præcipuè quia in ieiunio ad effectum, vt liceat illud soluere, non attenditur sola præsens necessitas, sed etiam lapsus, qui probabilitèr timetur in futurum, nam sanitas senum non est firma, & constans, sed fallax, & incerta, mediaq; inter morbū, & perfectam sanitatem iux. Galen. ibi relatum, cui tanquam in arte peritissimo standum est. Et ad hoc multum facit, quod Pius Quintus, & Pontifices successores denegantes Clericis, & Religiosis indultum Bullæ Cruciatæ vescendi lacticinijs in Quadragesima, exceperunt sexagenarios, quasi in ea ætate rationi consonet, vt imbecillitati naturæ cōsulatur. vndè Sanch. vbi suprà infert, eam ætatem reputandam esse sufficientem, vt eam adepti tamquam imbecilles, & non firmæ valetudinis à ieiunij onere eximantur. vide ibi.

Distinctionem autem Bonac. damnare non audeo, sed probabilem puto, saltem vt sexagenarij validioris naturæ, & complexionis teneantur ad ieiunium nō quidem de rigore iuris, sed de quadam æquitate. Benè fateor ego septuagenarius, & vltra, vsque ad annos septuaginta non cogno-

Digitized by Google

cognouisse difficultatem vllam in ieiunando plusquam ante sexagesimum, vnde semper consulerem ieiunium, nisi aliud obsisteret.

20 Præterea impotentes excusantur, siue impotentia sit fisica, vt quando quis non potest absolutè ieiunare, siue sit moralis, vt quando quis non potest sine notabili damno ieiunare, vt sunt infirmi, & conualescentes, quibus non sufficit vna refectio in die, etiam si culpa propria infirmitas contracta sit, cum in hoc attendatur impotentia præsens. Bonac. d. loco d. disp. vlt. q. 1. punc. vlt. n. 2. Hęc autem conclusio videtur generalis ad omnes impotentias, vnde melius est descendere ad particularitates, vt materia hęc melius innotescat.

21 Excusantur igitur feminę grauidæ, aut lactantes, quibus opus est cibo non solum pro se, sed etiam pro fętu. ita Bonac. vbi supra n. 3.

22 Item pauperes, qui propter paupertatem carent alimento sufficienti ad vnam refectionem. idem vbi supra n. 5.

23 Item laborantes, si labor est talis, vt cum eo non sufficiat vnica comestio: ratio est (& est generalis in hac materia) quia Ecclesia nullum obligat cum graui incommodo; quare agricolæ, fabri ferrarij, vel lignarij, seu cementarij, argentarij in pecunijs cudendis, vel vasis conficiendis, alij etiam operarij, qui opera laboriosa exercent, nec ita robusti sunt, vt ea, cum ieiunio commodè præstare queant, excusantur. idem Bonac. d. punc. vlt. n. 8. & 9. vbi dicit hoc procedere tam in operario paupere, quam in diuite, & tam in eo, qui seruiliter operatur, quàm in mandante, & curante (intelligo hoc, quo ad peccatum) vt sui familiares exerceant opera seruilia, quia præceptum ieiunij non obligat abstinere ab opere seruili: vbi in fine ampliat hoc pro die, quo non operantur, puta si interueniat festum in hebdomada, in quo sit ieiunandum, tunc si ieiunando graue sentirent incommodum ob laborem pręcedentis diei, aut si redderentur inepti ad laborãdum in sequenti iuxtà prudentis viri iudicium, similitèr excusantur.

24 Item textores, argentarij, pistores, & sutores conficientes calceos, alijq; operarij, qui nequeunt officio suo fungi cum ieiunio; & generalitèr, siuè opus sit corporis, siuè ingenij: non enim attenditur, an labor sit corporis, an animi, sed attenditur impotentia moralis ieiunandi suscepto seruili opere. idem Bonac. d. q. 1. punc. vlt. n. 10. post Less. ab eo allegatum.

25 Item suscipientes longum iter pede-

pedestre, putà quindecim, vel viginti milliarium: secus (regulariter loquendo) videtur de ijs, qui equestre iter aggrediuntur, nam hoc genus itineris faciliùs peragitur cum ieiunio, quam expleto ventre. idem n. 11. vndè si labor est exiguus, non excusat à ieiunio, vt infertur de barbitonsoribus, sartoribus, pictoribus, scolaribus, & similibus, vt ib. n. 12.

Quod dixi de scolaribus, & similibus, puto verum, nisi ex ieiunio sentiant graue, & notabile incommodum, quo casu non censetur Ecclesia obligare. fauent dicta per eundem Bonac. vbi supra d. n. 5.

26 Item operantes, & exercentes opera pietatis, & misericordiæ, quæ cum ieiunio non possunt exerceri, excusantur ab eo, vt sunt, qui concionantur, vel administrant Sacramenta, vel infirmos visitant, vel ornant Templa, & similes, si hæc opera exercere nequeunt cum ieiunio, ieiunare non tenentur etiam si fiat cum mercede, nam censetur adesse moralis impotentia. ex eo. Bonac. de præcep. disp. vltima q. 1. n. 13.

27 Item vxor, quæ ob timorem prauæ valetudinis, aut deformitatis, vel metu viri non permittentis ieiunare, excusatur: secus tamen, si id non permitteret in contemptum Ecclesiæ; & idem de viro, qui propter ieiunium nequit reddere debitum vxori, quia Ecclesia sicut non præsumitur velle impedire opera necessaria, ita neque opera debita. ita Bonac. vbi supra n. 14.

28 Quid autem dicendum sit de putantibus, se iustam causam nõ ieiunandi habere, vel saltem de dubitantibus. Dic, quod putantes sine aliqua hæsitatione, excusantur, si non ieiunant, quia sunt in bona fide: sed dubitantes tenentur, nisi dispensationem non ieiunandi obtineant à Superiore, vel nisi dubium deponant consilio Parochi, vel Confessarij, vel alterius Viri boni, aut alia ratione iuxta trad. per eundem Bonac. vbi supra n. 15. & 19. post DD. quos allegat, & sequitur.

29 Et ex iam dictis apparet, quinam de præcepto ad ieiunium teneantur. arg. tex. in c. cum apostolica. de his, quæ fi. à Præl. sine con. cap. omnes enim tenentur sub pœna peccati mortalis, cum sit præceptum Ecclesiæ, vt supra n. 14. indifferentèr enim tam masculi, quàm fœminæ, tàm Religiosi, quàm Seculares, tàm nobiles, quàm ignobiles, & tàm pauperes, quàm diuites, nisi excusentur, vt suprà, ieiunare tenentur.

Et quo ad hanc materiam, quę propriè nostra non est, vide eundem Bonaci. ubi suprà copiosè tractan-

tractantem. hic sufficiat tetigisse, ut supra.

30 Quatenus autem ieiunium est iniunctum pro aquirendo iubileo, est aliter dicendum, nam ab eo nullus excusatur: non enim hic agitur de uitando peccato, sed de aquirenda indulgentia, ad quod quisque tenetur iuxtà Bullam, nam similes Constitutiones tantùm valent, quantùm sonant iuxta commune dictum, vt alibi tactum est. Vndè sequitur, quod si senex sexagenarius, vel vltra, siuè adolescens minor 21. annis, siuè mulier prægnans, vel similis alius iustam causam habens non ieiunandi, non ieiunat, non lucratur iubileum, quia non exequitur opus iniunctum. tradit in term. idem Alf. de leo. d. par. 2. q. 14. lect. 3. nu. 144. vbi addit hanc esse communem opinionē, vt videlicèt ad ieiunium teneantur, si volunt lucrari iubileum; quia priuilegium cessat, ubi datur aliqua gratia cum certo quodam onere.

31 Sed quia in Bulla datur facultas Confessario electo commutandi in aliud opus, si virtute commutationis aliud fiat loco ieiunij, aquiritur iubileum: quod intelligo quo ad alios præter senes sexagenarios, & adolescentes infra vigesimum primum annum: Hi enim non solum non excusantur à ieiunio ad effectum lucrandi iubileum, vt dictum est, sed nec dicuntur habere iustam causam commutandi in aliud opus, vt in term. tenet Rodriq. allegatus ab Alf. vbi supra n. 145.

32 Quod puto verum in proximo ad sexagenarium, & vigesimum primum, quia de his est etiam aliqua controuersia inter DD. vt etiam supra tactum est; non autem in proximo ad septuagenarium, puta in habente 66. annos, & vltra; hic enim est proximior septuagenario, quam sexagenario; & in constituto in ætate 17. annorum, & infra: in his enim videtur militare eadem ratio, quæ in feminis prægnantibus, vel lactantibus, vel infirmis, laborantibus; & similibus, qui omnes dicuntur habere iustam causam petendi à Confessario commutationem in aliud opus, prout quo ad tales infirmos, & laborantes firmat idem Alf. vbi suprà n. 148. hi enim non dicuntur posse saltem moraliter ieiunare; nam qui potest, sed tamen facit sibi commutari ieiunium, non lucratur iubileum secundum Doctores allegatos per Alf. vbi sup. n. 154 quod est notandum. Quod autem dictum est de sexagenario, & minore 21. annis, intelligo, nisi ex alia indispositione realiter ieiunare non possit cum ex hoc certum sit, tali impotenti esse commutandum, etiā quod sit sexagenarius tantum, vel in

Digitized by Google

vel in vigesimo primo anno; est enim in numero legitimè impeditorum, de quo suo loco, &c.

33 Sed quid, si quis non potest ieiunare, an sufficiat, si faciat alium pro se ieiunare? Resp. negatiuè. Opera enim iniuncta sunt omnia personalia, præter eleemosinam, quæ per alium fieri potest. ita post Enriquez firmat idem Alf. vbi supra n. 149. & latius Bonac. de sacram. disp. 6. q. 1. punc. 5. n. 24. & dicitur infra cap. seq. n. 16.

34 Ad sextum, An omnis fractio ieiunij impediat iubileum. Dico quod aut fractio est leuis, aut grauis. si leuis, ità vt non sit peccatum mortale in ieiunio de præcepto, vel ex voto, sed peccatum tantum veniale, non impedit fructum iubilei: secus si grauis, & notabilis. ad trad. per Bonac. de Sacram. disp. 6. q. 1. punc. 5. n. 21.

35 Ad septimum, An ieiunium cõmutari possit in alium diem, vel in aliud opus.

Quo ad diem dico, quod aut dies est intra hebdomadam, in qua quis intendit lucrari iubileum, & non est dubium, quin cõmutari possit, puta si quis non ieiunauit feria quarta, potest in vim commutationis ieiunare feria quinta; iste enim est in terminis talibus, vt non possit feria quarta amplius satisfacere; & intelligo si aptus sit ad ieiunandũ; aliàs si iustam causam habet non ieiunandi, poterit ei commutari in aliud opus, vt infrà par. 4. c. 3.

Si verò dies sit extra hebdomadam, in qua quis intendit aquirere iubileum, & adsit causa iusta, puta si quis infirmitate, vel alia quacunque causa impediatur, poterit fieri commutatio ieiunij in aliud opus extra hebdomadam illam, dummodo tempus illud dicatur proximum: in hoc tamen casu potius dicetur differri opus, quam commutari, vt benè elicitur ex tex. Bullæ in §. vt autem in fi. ibi. vel in aliud, proximum tamen tempus, differre valeant. Si verò non adsit causa iusta, secus.

36 Hac occasione quæri posset, quodnam dicatur tempus proximum, vt in illud differri opus, vel commutari possit impedito. in hoc dic vt infra par. 4. cap. 3. n. 6.

37 Quo verò ad opus dico, quod ieiunium commutari potest in aliud pium opus ei, qui aliquo iusto impedimento tenetur, quin ieiunare possit: verba Bullæ sunt clara in d. §. vt autem, ibi, in alia pietatis opera commutare, & in Summario, ibi (commutarle in altre opere pie) & in hoc hæc conclusio non habet controuersiam.

De materia commutationis, vel dilationis operis, & quibus hoc priuilegium competat, vide infra par: 4. cap. 3. per totum.

 38 Ad

Digitized by Google

38 **Ad octauum, quæ sit hora comedendi in die ieiunij. Dic,** circa meridiem; quod patet ex consuetudine fidelium, licet antiquitus vesperi refectio sumeretur. Positum tamen est in libertate ieiunantis protrahere comestionem post meridiem, cum dilatio conducat ad maius meritum; auget enim difficultatem ieiunij, quæ regulariter sentiri solet ante comestionem: circumstantia tamen temporis non est de intrinseca ratione ieiunij, nec hora sumendæ refectionis est de substantia, vnde sequitur, quod qui in die ieiunij notabiliter anticipat comestionem ante meridiem, puta per horam, vel duas, peccat tantum venialiter: si verò ex iusta causa id faciat, nec etiā venialiter peccat. ad trad. per Doctores, quos allegat, & seq. Bonac. de præcep. disput. vlti. q. 1. punc. 4. n. 1. 2. & 3. vbi nu. seqq. vide alia ad materiam ieiunij. ibi tamen comestionem vnicam, quæ fit in die ieiunij, Bonac. vocat prandium, sed minus propriè, cum retineat naturam comestionis, quę antiquitus fiebat post occasum Solis, vel circiter, ut tactum est supra; vnde meritò dicitur cœna; & ita vtitur Ecclesia in benedictione, quę ab Ecclesiasticis fit; & re vera in die ieiunij subtrahitur prādium, vt supra n. 1.

CAPVT QVARTVM.

Ad quartum capitulum principale, hoc est de quarto onere Eleemosinæ ad arbitrium, vt in Bulla §. vt autem. ibi. & quantum pro suo quisque arbitrio iudicauerit, eleemosinas erogent, in hoc videndum erit de octo.

Primo. Quid sit eleemosina, & quotuplex.
2. Quanta eroganda.
3. Quibus eroganda.
4. Quando eroganda, & quoties.
5. An pauper excusetur.
6. An si intuitu sanguinis, vel alterius interesse fiat, sufficiat. & quid si extreme indigenti.
7. An per alium fieri possit.
8. Ad quem spectent eleemosinæ, quæ fiunt Ecclesijs visitandis occasione iubilei.

CAPVT QVARTVM.

SVMMARIVM.

Quid sit Eleemosina. n. 1. & quotuplex. ibidem, & n. 2.
Quomodo accipiatur in hac materia iubilei. ibidem sub d n. 2.
Quanta Eleemosina sit eroganda pro acquisitione iubilei. n. 3.
Quo ad meritum magna Eleemosina magis proficit, quam parua. sub n. 3. & sub n. 7.
Quibus eroganda occasione iubilei. n. 4.
Quando, seù quibus diebus, vel quoties eroganda. n. 5. 6. & 7.
Valde congruum est iungere Eleemosinā ieiunio. sub n. 6.

Illud

Digitized by Google

Caput IIII.

1 QVO ad primum ergo, quid sit Eleemosina, Dico, quod aut sumitur pro re eleemosinalitèr tradita; aut pro actu ipso tradendi, qui est actus virtutis, quo fit talis subuentio. Si primo modo, eleemosina est res indigenti tradita ad eius necessitatem subleuandam, & sic est panis, vinum, vestimentum, pecunia, & similia.

Si secundo modo eleemosina est actus misericordiæ, & pietatis, & secundum Nau. in man. cap. 24. n. 3. dicitur actus etiam charitatis, quia originalitèr procedit ab amore, & charitate proximi, qua mouetur ad miserendũ, & hoc modo secundum Bona. tripliciter sumitur.

2 Primò communissimè, & sic cõpræhendit omne opus misericordiæ impensum proximo, vel sibi. iux. illud Eccles. 30. miserere animæ tuæ.

2. Communitèr, & sic compræhendit omne opus misericordiæ impensum proximo, tàm corporale, quam spirituale.

3. Propriè, & sic compræhendit opus pietatis impensum proximo ad releuandam indigentiam corporalem. tradit Syluest. in ver. Eleemosina. in princ. & Nau. vbi supra. Et iuxta hunc tertiũ modum accipitur in proposito nostro; quatenus enim est onus iniunctum, intelligitur propriè, nam secundum Alf. de offi. & potest. Confess. &c. par. 2. q. 14. sect. 6. in princ. quæ est post n. 170. post Zenar. ab eo allegatum, hoc casu intelligitur eleemosina realis, & sic subuentio corporalis, non spiritualis, vt subdit, licèt in meo libro, qui erroribus typographorum abundat, pro dictione spiritualis, ponatur specialis, quæ differt à generali, non à reali, vt notissimum est.

3 Ad secundum, quanta elemosi-

emosina sit eroganda. Dic, quod est ad arbitrium cuiusque eam erogantis siue sit multa, siue pauca, & siue magna, siue exigua; siquidem Bulla non vtitur verbis talibus, vt ex ea eliciatur, quod eleemosina fiat pro cuiusque facultate, tunc enim maior à diuite, quam à paupere desideraretur. ita in term. Bonac. de sacrament. disp. 6. q. 1. punc. 5. n. 18. post Doctores, quos allegat, vbi subdit, quod quatenus spectat ad meritum, non ad indulgentiam, non æqualiter meretur, qui exiguam, quam qui magnam facit eleemosinam; & sequitur etiam Alf. de leo. d. tract. de offi. & pote. Confess. &c. par. 2. n. 172. Ergo pro aquisitione præsentis iubilei sufficit, vt qualiscunque eleemosina fiat: & in hoc non est scrupolizandum, vt ex præcisis verbis Bullæ in d. §. vt autem, & tactum est supra in princ. huius 4. cap.

4 Ad tertium, quibus eroganda, & dico, quod Pauperibus Christi, vel Ecclesijs, seu pijs locis; & siue pauperes, vel Ecclesiæ sint in loco, vbi publicatum est iubileum, siue alibi, cum Bulla non distinguat: vnde quoties fit opus misericordię, & charitatis, semper satisfit menti Concedentis. tradit quo ad pauperes idem Alf. vbi supra n. 176. & quo ad Ecclesias, & loca pia facit quod tradit ibid. n. 179. & quod dicitur infra ad octauum n. 17.

5 Ad quartum, quando eroganda sit eleemosina, & quoties. Et dico, quod ex contextu Summarij videtur dicendum eleemosinas esse erogandas tribus diebus ieiuniorum per expressa ibi: E nella feria quarta, sesta, e sabbato della prima, ò seconda settimana digiunaranno, & in detto tempo daranno Elemosina secõdo l'arbitrio, e carità di ciascuno. Sed ex contextu Bullæ id non habetur. Verba sunt hæc: omnes prætereà quarta, & sexta feria, ac sabbatho eiusdem, vel alterius sequentis hebdomadæ ieiunent; & quantum pro suo quisque arbitrio iudicauerit, eleemosinas erogent. vbi non dicitur; & eisdem diebus eleemosinas erogẽt, nec dicto tempore eleemosinas, &c. Quare dicendum est, verba illa (in detto tempo) in summario posita abundare; nisi dicamus, posita ibi esse ad similitudinem quinti operis, nempe confessionis, vbi habentur hæc verba. Atq; intra hoc ipsum tempus Sacerdotibus ab Ordinario approbatis peccata sua confiteantur; quod clarum est iniungi intra tempus illius hebdomadæ, in qua quis intendit lucrari iubileum, vt infra suo loco dicitur. Et quia clarum est, eleemosinas fieri debere intra hoc tempus, sequitur, vt verba illa inferant tẽpus to-

Digitized by Google

pus totius hebdomadæ, & non se restringant ad tres dies ieiunij, maximè quia dicitur. Et in detto tempo. & non in detti giorni.

6 Et quod possit sustineri probabiliter, quod sufficiat, si semel, & vna vice fiat, sed tamen ex causa rationabili, maximè cum consilio Confessarij, tenent Rodriq. Graff. Reginal. & Santarell. allegati per Alf. d. par. 2. n. 171. qui id putat verum si tamen semel tantam eleemosinam erogauerit, quantam proposuit dare pro dicto fine, & id bona fide, & cum ignorantia fecerit. vide ibi, vbi dicit, eleemosinam regulariter esse erogandam in tribus diebus, quibus Ecclesiæ visitantur. At si bene aduertatur, Ecclesiæ non sunt de necessitate visitandæ tribus diebus, vt firmatum est supra hac ea. par. cap. 1. n. 29. & 30. ergo nec etiam eleemosinæ tribus diebus sunt faciendæ de necessitate.

Puto tamen esse valde congruum iungere eleemosinam ieiunio iux. illud D. Leo. Papæ in serm. 2. de ieiun. x. mens. fiat refectio pauperis abstinentia ieiunantis. & illud eiusdem in serm. 9. de ieiun. 7. men. esuriamus pabulum dilectissimi, & aliquantulum, quod iuuandis possit prodesse pauperibus, nostræ consuetudini subtrahamus.

7 Nec puto esse necessariam caussam rationabilem ad hoc, vt vnica eleemosina quis satisfaciat, nec id de consilio etiam Confessarij, aliàs non erit arbitraria; sed vt liberum sit arbitrium cuiq; erit omninò dicendum, vt tàm ratione quantitatis, quàm alia ratione eleemosina sit arbitraria simpliciter, cum verba semper propriè sint intelligenda. vt l. si. ff. de his, qui ue. æta. imp. & c. si quem. de sent. excom. illud enim est propriè tale, quod est simpliciter tale. l. hoc legatum. ff. de lega. 3.

Et ex his ad remouendum scrupulos puto satisfacere eum, qui etiam alijs diebus eiusdem hebdomadæ præter tres supradictos facit eleemosinam, & siue vnam faciat, siue duas, vel tres, vel plures: & hanc partem esse probabilem, & tutam, licèt alia videlicet quo ad tres eleemosinas fortè sit tutior, quod relinquo cogitandum. Benè tamen verum est, quod quo ad meritum semper melius erit facere plures eleemosinas, quam vnam nisi vna esset maior tribus.

8 Sed quid, si die Dominico post communionem quis faciat eleemosinam? & quid, si ante communionem? Quo ad primum semper tenerem opinionem negatiuam, quòd scilicet non satisfaciat, quia in terminis iubilei nostri est omninò extra tempus. Quo verò ad secundum de rigore videtur dicendum idem,

idem, quod supra; tamen quia à Gregorio xiij. fuit declaratum Patribus Societatis Iesu, huiusmodi eleemosinam facientem satisfacere, vt refert Sorb. in Cõpendio Priuil. Frat. Min. &c. in ver. Indulgentia annot. 2. & idẽ dicit de oratione, vbi etiam dicit idem tenere Nau. de orat. miscell. 58. n. 221. & Alf. de off. Confess. par. 2. n. 174. qui ad hoc ref. etiam Graff: Rodriq. & Henriq. non auderem contradicere.

Quo ad primum tamen teneo indubitatè partem negatiuam, arguendo maximè à dicta declaratione à contrario.

9 Ad quintum, an pauperes excusentur ab eleemosina eroganda occasione iubilei. & dic, quod cum Alf. vbi supra nu. 177. qui dicit pauperes teneri de rigore erogare eleemosinam, & puto verum pro formali adimplemẽto iniunctorum; subdit tamen hanc esse iustam causam obtinẽdi à Confessario commutationẽ in aliud opus pium, licet subdat non deesse, qui teneant, pauperes non egere tali commutatione ex verisimili, & coniectura ta mente S. P. Contrarium tamen est tutius, vt ipse firmat, & benè, quia si Summus Pontifex interrogaretur, responderet, satis huic casui prouidisse per priuilegium concessum Confessario electo commutandi in aliud opus: hæc enim est melior coniectura, quam alia, quia apertè videtur S. P. iniunxisse sex opera, vnde si eleemosina deficeret, essent tantum quinque, & tamen ex nullo verborum Bullæ elici potest fallentia ad regulam; ergo supletur per commutationem.

10 Ex his elicitur, quid dicendum sit de Vxoribus, de filijsfam. de famulis, de Regularibus, de Monialibus, & de similibus. hi enim, prout etiam pauperes, aut quærant sibi dari aliquid, quod erogetur in eleemosinam; aut faciant hoc opus sibi commutari in aliud opus personale. Vide Alfons. vbi supra n. 178. vbi dicit patres, & maritos teneri ad subministrandum; subdens amplius, quod vxores, & filijsfam. si vident viros, & patres respectiuè nimis auaros, possunt aliquid clam surripere, dummodo sine scandalo, rixis, &c. & benè, quia in hoc supplet defectus eorum ad eorum salutem.

Et quo ad Regulares non puto ambigendum, nam est conditio, & sic omninò adimplenda; Vnde si sunt Superiores Locorum, poterunt facere eleemosinam; si subditi, & eis id à Superiore nõ permittatur, tamquam impediti poterunt commutationem à Confessario obtinere iux. tex. Bullæ; aliàs hæc facultas eis concessa, quo ad ipsos nihil operaretur. & vide Alf. vbi supra n. 216. clarũ

est enim

Digitized by Google

est enim prætermissionem operis iniuncti, etiam quod prætermissio fiat ex iusto impedimento, vel impotentia, dummodo Bulla id non exprimat, efficere, vt iubileum non aquiratur, nisi illud opus à Confessario in aliud commutetur, vt per Bonac. iufra allegan. Et licèt nonnulli Regulares ex Mendicantibus Viri Doctissimi tenere videantur contrarium, quibus satis videtur fauere Reginal. & Nau. relati per eund. Bonac. tamen quod supra firmatum est, nō solùm est probabilius; sed omninò tutùm, cum habeamus tex. in term. nihil distinguentem inter personas, neq; inter opera: in hoc enim probabilis opinio, seù etiam communis error, stante prætermissione actus, seù operis iniuncti, non sufficit, vt aquiratur iubileum, & indulgentia, vt in term. Bonac. de Sacram. disp. 6. q. 1. punc. 5. n. 17. & 27. post Bellarm. & alios, quos allegat.

11 Ad sextum, an si eleemosina fiat intuitu sanguinis, vel alio respectu, satisfiat. Distinguo, aut eleemosina fit solùm intuitu sanguinis, & sic ad exclusionem actus pietatis, & non videtur satisfieri, quia respicit tantum interesse sanguinis, & sic non est opus charitatis, & pietatis: & idem dico, si fiat tantum intuitu obligationis antidoralis, vel alio simili respectu, quia non redundat in honorem Dei, & ad finem intentum, vnde meritò non videtur posse dici opus honestum in eo sensu, in quem accipere videtur Bonaci. de indulg. disp. 6. q. 1. punc. 5. n. 15. Et fortius hoc procedit, si aliquo fine formaliter malo, puta ad vanam gloriā, vel ad alliciendas fęminas, pauperes, & sic aliquo intuitu sensuali, lasciuo, & inhonesto, in qno nullo modo est dubitandum, vt ibi.

12 Si autem fiat non solum aliquo dd. respectuum, sed etiam intuitu pietatis, tunc dicendum est per hoc obtineri indulgentiam: in hoc enim non excluditur pietas, & sic actus honestus, pius, & ad Dei honorem, & gloriam. ità ex Bonac. vbi supra.

13 Sed quia Bonac. non loquitur præcisè de intuitu sanguinis, vel simili, quod potest esse opus ex sui natura saltem non malum, loquitur enim de fine malo, vt est vanagloria; ideò videtur diuersa ratio; vnde quando dixi, non videri opus honestum facere eleemosinam intuitu sanguinis tantum, consultò addidi (ad exclusionem actus pietatis) intelligendo hoc positiuè, quia si negatiue tantum, casus esset dubitabilis, maximè si consanguineus esset pauper, eo enim casu si non positiuè excluderet intuitum pietatis, eo quia ad id animum non reflecteret, non vide-

retur priuari lucro iubilei, quia non est dubium, quin eo casu sit actus virtutis saltem moralis, qui videtur sufficere, vt dicatur actus honestus, siuè opus honestum, ex quo explicitè non excludit charitatem, & pietatem, ita ut si interrogaretur, an etiam intuitu pietatis id faciat, non esset negaturus. Cogita.

14 Et vt tutius agas, si casus occurrat, vt alicui consanguineo, uel benefactori indigenti facias eleemosinam occasione iubilei, fac, ut semper reflectas animum ad uirtutem charitatis, qua motus, siuè principalitèr, siuè saltē concomitantèr miserearis indigenti, & ideo eleemosinam ei largiaris.

15 Sed quid, si fiat pauperi extremè indigenti? ad hoc enim quis tenetur ex pręcepto? sed dico, quod satisfacit iubileo. tradit Alf. ubi supra n. 173. post Henriq. ab eo allegatum.

16 Ad septimum, An per alium fieri possit eleemosina? & breuitèr respondeo affirmatiuè, ut tradidi supra cap. 3. n. 33. In quo tamen addo, quod si famulus, siue alius mandatarius mandatū non exequitur, talis mandans fieri eleemosinam non lucratur iubileum, quia verum est, quod deficit in executione operis non implendo illud, vt præscribitur, cū non sit eleemosina, nisi effectiuè detur indigenti. ad trad: per eandem Bonaci. d. disp. 6. q. 12 punc. 5. n. 22.

Et quod eleemosina possit fieri per alium adeò verum est, vt etiam si fiat per malum ministrum valeat. vide in term. Nau. de iubil. not. 19. sub n. 19. vers. pręsuposito item quarto. & not. 22. sub n. 31.

17 Ad octauum, Ad quem spectent eleemosinæ, quæ fiunt Ecclesiæ, seù Ecclesijs occasione iubilei. & respondeo, quod spectant ad Rectorem Ecclesiæ, siuè sit Parochialis, siuè simplex, & siuè sit principalis, siuè annexa, vel membrum alterius, quo casu ad principalem, seù Rectorem principalis Ecclesiæ spectabunt, nisi aliud obstet, puta pręscriptio vel priuilegium, siuè alia dispositio.

18 Vnde si fiant in Cathedrali, & ad Capitulum, vel aliquam dignitatem spectet cura animarum, ad illud, vel illam spectabunt huiusmodi eleemosinæ.

Si verò aliqua Ecclesia sit ita vnita Episcopatui, vt Capitulum Cathedralis nullum in ea ius fouere dicatur, ad Episcopum spectabunt; sunt enim species oblationum, in quibus Rectores habent fundatam intentionem de iure communi; & licèt principalitèr dicantur offerri Deo, & Ecclesiæ, cedunt tamen in vsum Rectorum, seu ministrorum. ad trad. per Syluest. in ver.

Decima

Digitized by Google

Decima. n. 2. 4. & 5. Et quod pertineant ad Archipresbiterum, qui exercet curam animarum in Cathedrali Ecclesia, & non ad Episcopum, est quæstio discussa in Romana Curia in vna Beneuentana spolij 2. Decembris 1585. coram Orano, traditur, & refertur in praxi Archiepiscopali Genuen. cap. 54. in annot. n. 13.

19 A' simili idem dicendum de Ecclesijs Regularium, ac de Oratorijs Confraternitatum: nam tales eleemosinæ videntur spectare ad Prælatum Regularem, & ad legittimos Administratores piorum locorum respectiuè per iam dicta.

20 An autem Episcopus possit vti talibus eleemosinis, ita vt ad libitum suum eas distribuere, vel applicare possit inuitis Rectoribus, seu Administratoribus, ob reuerentiam Episcoporum non audeo respondere. vide per te Alfons. vbi supra n. 179. qui respondet negatiuè: vbi tamen nota illum ponere quęstionem generalem, & tamen in resolutione se restringere ad Rectores Ecclesiarum, & nihil dicere de Administratoribus piorum locorum, seu Confraternitatum, cum clarum sit, eleemosinas dictorum piorum locorum esse impendendas iuxta præscriptum Episcopi, vt ex constit. Clem. viij. quæ incipit, Quæcunque à Sede Apostolica, &c. publicata Romę die 24. Decembris 1604. in §. eleemosinas autem, quam ponit de ver. ad uer. Piasec. in praxi Episcopali §. 2. c. 3. vbi agit de visit. Confrat. & Steph. Quar. in summa Bullar. ver. Confraternitates. Qui tamen Episcopus arbitrari debebit in vsus pios earundem Confraternitatum, vt ibi cauetur.

CAPVT QVINTVM.

Ad quintum Capitulum de quinto onere Confessionis.

Pro clariori intelligentia huius oneris, videndum erit de decem.

P. An requiratur Confessio sacramentalis valida, vel sufficiat confessio, licèt non sit vallata circumstantijs necessarijs.

2. An sufficiat propositum confitendi, maximè si quis sit legitimè impeditus.

3. An qui sola peccata venialia habet, vel nulla, teneatur ad confessionem.

4. Quando Confessio sit facienda.

5. An mutus, vel alius loquela impeditus possit confiteri per signa, & sufficiat.

6. An sit necessaria Confessio generalis.

7. An Confessarius occasione iubilei possit imponere Pęnitenti pęniten-

pęnitentias salutares ad arbitrium, vel sufficiat pęnitenti facere, quod per Bullam iniungitur.

8. Qua forma absolutionis vti debeat Confessarius occasione iubilei.

9. An possit eligi Confessarius non admissus, nisi ad confessiones certarum personarum.

10. Quomodo intelligatur electio Confessarij ab Ordinario loci admissi.

CAPVT QVINTVM.

SVMMARIVM.

Confessio an debeat esse Sacramentalis, & Valida ad consecutionem iubilei, n. 1.

Et quid si post confessionem factam quis incidat in mortale, n. 18.

Quæ requirantur ad confessionem sacramentalem legitimam, n. 2.

Confessio sacramentalis requiritur pro præambulo Communionis, n. 3. & sub 18. Intellige de confessione mortaliũ, sub eo. n. 3. & n. 8. & 10. Et si habeatur copia Confessarij, n. 3. & 4.

Qui in necessitate celebrat in peccato mortali non habens copiam Confessarij debet quamprimum confiteri, & quomodo id intelligatur, d. n. 4. vbi quid importet quamprimum, & similia aduerbia.

Quid si confessio non fuit valida respectu Confessarij, & penitens ignorauit, n. 5

Quid si finxit se absoluere, & non absoluit, n. 7.

Ignorantia inuincibilis an excuset, sub d. n. 5.

An sufficiat propositum confitendi pro assecutione iubilei, n. 7.

Quid si quis legitimè impediatur, n. 9. & 21.

Quid de eo, qui sola venialia habet, n. 10. 11. 12. 13. & 14.

Venialia licet non sint materia necessaria sacramenti pęnitentiæ, sunt tamen materia sufficiens, n. 12.

Quælibet commissio censetur in dubio facta secundum dispositionem iuris communis, sub n. 10. in fi.

Minor 21. annis non tenetur ad ieiunium, sed quid pro consecutione iubilei, n. 13.

Implementum iniunctorum non regulatur iuxta præceptum Ecclesiæ, sub n. 13.

Quid in eo, qui nullum peccatum habet, an pro consecutione iubilei teneatur ad actualem confessionem, n. 15.

An qui post vltimam confessionem non incidit in peccatum dicatur contritus, & confessus ad effectum lucrandi Indulgentiam, sub. d. n. 15.

Quando confessio sit facienda, n. 16. & 19. Vbi quid, si die Dominico, n. 20.

An qui in mortali est, teneatur confiteri ante omnia alia opera adimplenda, n. 17.

In executione vltimi operis requiritur, quod quis sit in gratia, sub d. n. 17.

Hebdomada quando terminetur, sub n. 19

Dominica sequens an sit de hebdomada, vel extra eam, sub n. 19. & 20.

Quid de muto, qui non potest confiteri, n. 22.

Quid de alio quocunque impedito loqui siue ex infirmitate, siue ex ignorantia idiomatis, n. 23.

An moribundus, qui loqui non potest, sit absoluendus, eo. n. 23. & distingue; vt ibi. & no. regulam, quando per signa confitetur.

An pro iubileo sit necessaria confessio generalis, n. 24.

Indul-

Digitized by Google

Caput V.

1 AD Primum, an requiratur confessio sacramentalis valida, &c. Breuiter dico requiri absolutè confessionem sacramentalem, & validam, nam verba sunt intelligenda in potentiori significatu. l. 1. ff. si ager vertig. & ibi DD. in tantùm enim hic requiritur confessio, in quantum sit dispositio ad communionem, & ad impetrandum iuxta mentem Summi Pontificis, & per hanc rationem idē firmat Alf. de Leo. de off. & potest. Confess. &c. par. 2. q. 14. sect. 4. in princ. vbi subdit hoc esse certum apud omnes, & sic requiritur, quod confessio sit sacramentalis, & valida, & sic duo copulatiuè: vndè sequitur, quod si quis confiteatur non sacramētalitèr, puta non habens contritionem, vel saltem sufficientem attritionem, vel non habens propositum abstinendi in futurum, vel si confiteatur non integrè, vel non expressis circumstantijs necessariò confitendis, non satisfacit per iam dicta.

2 Quę autem requirantur ad confessionem sacramentalem, vt legitimè fiat, dic, quod sexdecim conditiones, licèt non omnes sint essentiales. vide Nau. in man. cap. 2. n. 5. & Tolet. instr. sacerd. lib. 3. c. 7. & seqq. & copiosè tradita per P. Auers. de sacram. pęnit. q. 10. sect. 5. & seqq.

3 Idem dico, si esset sacramentalis ex parte Pęnitentis tantum, hoc est habens omnia requisita prædicta; sed tamen inualida, puta ex parte Confessarij, qui non absoluit valide, quia non potuit ex defectu iurisdictionis, quia paritèr non sufficit, cum absolutio sit nulla, & consequentèr confessio non sit sacramentalis, & valida simul, vt esse debet, maximè quia requiritur pro præambulo necessariò communionis, vnde debet esse cum valida absolutione, vt ex Conc. Trid. sess. 13. cap. 7. & can. 11. vbi etiam excommu-

communicantur, qui pertinacitèr asserunt, eos, qui conscientiam peccati mortalis habent, non teneri, confessionem actualem peccatorum facere ante Communionem, si copiam Confessarij habeant; & per hanc auctoritatem, & alia fundamenta Nau. in man. cap. 21. n.49. concludit peccare mortalitèr, qui copiam Confessarij habens communicat ante confessionem actualem omnium peccatorum mortalium, & ante eorum absolutionem, quãuis veram eorum contritionem habeat, vt in dd. tex. habetur.

4 Consulto autem dictum est, si habeat copiam Confessarij, quia si necessitate aliqua compulsus quis in mortali celebret sine copia Confessarij, debet quamprimum confiteri, vt in d. cap. 7. Conc. Trid. hoc est saltem infra tres dies, & antequam denuò celebret, vel communicet, vt in quadam nostra Congregatione Casuum fuit maturè discussum, & resolutum: & non dissentit Dian. nec Lug. allegati per P. Auers. post hæc scripta visum, qui tamen addit, nisi fortè prima die haberet commoditatem confitẽdi non habiturus seqq. diebus. vide eundem de Sacr. Euch. q. 8. sect. 7. vers. sed neque, vbi exponit verbum (quamprimum) de quo in Conc. Trid. d. cap. 7. An autem hoc habeat locum etiam in laico in simili necessitate communicante, videlicèt vt quamprimum confiteatur, dic quod non, prout etiam in Sacerdote more laicorum communicante, cum Concilium loquatur solùm de celebrante. ità Bonac. de Sacram. disp. 4. q. 6. p. 1. n. 37. & 40. sequitur P. Auers. d. q. 8. sect. 7. vers. nono. vbi tamen addit, quod ad hoc astringuntur Sacerdotes, qui in defectum celebrantis suplent vsque ad consumationem sacrificij; & etiam communicantes in die Parasceues, idest celebrantes non consecrando, quia communicant more Sacerdotali. vide ibi. Et hæc dicta sint ex abundanti respectu Confessionis, & Communionis simplicitèr, non intuitu iubilei, quo casu an carens Confessario possit communicare absque confessione, vt iubileum lucretur, agitur infra par. 4. cap. 7. n. 35. & 36. vbi agitur de iubileo ordinario, in quo non est omninò eadem ratio, quæ in extraordinario, vt aliàs firmatum est; & vide infra hoc eo. cap. ad 2. n. 7. 8. 9. & 21.

5 Quæ autem dicta sunt de inualiditate Confessionis respectu Confessarij, puto vera, si, & dũmodo pœnitens id nouerit, quia si bona fide confessus sit Confessario communiter reputato legitimo, & ignorantia inuincibili credat, se ritè confessum, puto eũ satisfecisse, quia fecit, quantum in se

in se fuit, nam ignorantia inuincibilis tàm iuris, quàm facti, seù probabilis (quod secundū DD. idem est, quæ à Nau. appellatur iusta) in omnibus excusat à peccato, quod non est, nisi voluntarium, siquidem talis ignorantia reddit inuoluntarium. Bonac. de præcept. disp. 2. q. 8. punc. 3. n. 12. est enim causa sine qua non. ad trad. per Nau. cap 23. n. 48. vnde tanto magis excusabit in alijs, & etiam in hac materia iubilei. quę est fauorabilis, vt alibi dictum est: & licèt qui omittit aliquem actum, quem iuxtà probabilem opinionem credebat nō esse necessarium ad consequendam indulgentiam, non consequatur eam iuxtà trad. per Bonac. de Sacram. disp. 6. q. 1. punc. 5. n. 27. tamen in hoc casu puto, bonam fidem pœnitentis sufficere ad assecutionem indulgentię, quia quantum in se est, adimplet opus iniunctum per actualem confessionem, in qua credendum est, Summum Pontificem supplere, stante communi errore, seù opinione, quibus stantibus Ecclesia supplet iurisdictionem, quod non fit in casu omissionis alicuius actus necessarij, quia semper verum est, talem non adimplesse adimplenda vide, & considera benè, quæ traduntur à Bonaci. de Sacram. d. n. 27. iunct. tradit. per eundem de matr. q. 2. punc. 8. n. 30. & 31.

6 Sed quid, si nulla sit absolutio, quia Sacerdos finxit se absoluere, & tamen non absoluit, vel etiam ex incogitantia absolutionem prætermisit. Non est dubium, quod confessio est nulla, cum deficiat in absolutione sacramentali: Sacramentum enim pœnitentiæ habet tres partes integrales respectu pœnitentis, cōtritionem, confessionem, & satisfactionem, tanquam materiam sacramenti: eius tamen forma consistit in absolutione, vt clarè ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. & can. 4.

Sed quid quo ad gratiam, & indulgentiam. Vide, quæ dixi infra par. 4. cap. 7. n. 18. 39. & 40.

7 Ad secundum, an sufficiat propositum confitendi. Dic, quod responsio negatiua patet ex dictis supra n. 1. & seqq. & tradit expresè Nau. de iub. in coment: Const: Greg. sub n. 40. in ver. confessi. qui dicit non solùm proposito, sed etiam actu, & de facto.

8 Ad materiam nunc addo, quod ex quo iniungitur in Bulla onus communicandi, est certum, quod intelligitur etiam onus actualis confessionis peccatorum mortalium, & maximè quia datur electio confessarij, ex quo certò arguitur, requiri actualem confessionem, vt in term. tradit etiam Alf. d. par. 1. n. 62. & 63. vbi cū nu. seqq. satis habetur, quod in terminis

terminis huius Bullæ, & iubilei extraordinarij non est dubium, requiri confessionem actualem pro opere iniuncto, licèt in terminis iubilei ordinarij, vbi habentur verba (contritis, & confessis) casus sit disputabilis. vide ib. & quod dico, confessionem actualem requiri, intelligo indubitatè quo ad peccata mortalia, aliàs non confessa; quo autem ad venialia, vide infra n. 20. & seqq.

9 Sed quid, si quis sit legitimè impeditus? Nau. de iubil. in d. coment. constit. Greg. verbo. confessio. dicit, talem excusari. Sed Bonaci. tenet contrarium post Eman. Sà, & Bellarm. & alios d. disp. 6. quęst. 1. punc. 5. n. 17. cui libenter adhæreo per rationes ibi allatas, & n. 14. maximè quia Nau. loquitur in terminis iubilei ordinarij, in quibus casus est magis disputabilis, vt tetigi, licèt Alf. in terminis etiam iubilei ordinarij teneat absolutè contra Nau. ampliando conclusionem etiam in quoquo modo impedito. d. q. 1. n. 69. Vide, quæ dixi par. 4. cap. 7. n. 35.

Et ex his patet, propositum tantum non sufficere etiam impedito. Remedium autem vide infra hac ea. par. cap. 6. n. 7. videlicet si impedimentum sit ex alia causa, quam ex defectu Confessarij, quia si deficiat Confessarius, quod raró contingere potest, vix dari poterit remedium, maximè si pęnitens sit in peccato mortali.

10 Ad tertium. An qui sola venialia habet, vel nulla peccata, teneatur ad actualem confessionem virtute Bullæ, est quæstio valde controuersa inter Doctores.

Pro resolutione dico quo ad venialia. Aut ex mente summi Pontificis elicitur, vt etiam peccatorum venialium fiat confessio: aut non elicitur.

Primo casu, certum est, quod debet fieri cōfessio actualis, quia id potest imponere pro onere. ad trad. per Alf. par. 1. q. 1. n. 77.

Secundo casu sunt duæ opiniones contrariæ, negatiua, & affirmatiua. Negatiuam tenent Henriquez, Suarez, Nau. & Reginal. quos citat, & seq. Bonac. de Sacram. disp. 6. q. 1. punc. 5. n. 7. per hanc rationem, videlicèt, quando in Bulla exprimitur confessio, intelligitur respectu illius, qui conscientiam habet peccati mortalis; confessio enim simpliciter dicta ex communi vsu, & consensu Ecclesiæ censetur de mortalibus: addo ego, quod ad sola mortalia confitenda præceptum Ecclesiæ obligat. vt c. omnis. iunc. glo. communitèr approbata. in ver. omnia. de pœnit. & remiss.

Hanc videtur etiam sequi Alf. vbi supra n. 75. Addens duas rationes,

Digitized by Google

tiones, prima est, quia valet argumentum de præcepto ad Bullam, quæ in hoc habet vim legis, itaut qui vult lucrari iubileum, debeat seruare, quicquid iniungitur in Bulla; sed præceptũ non obligat, ergo nec Bulla. Secunda quia quęlibet concessio censetur in dubio facta secundũ dispositionem iuris communis, & hæc coincidit cum alia supra posita per Bonaci. & hanc opinionem Alfonsus dicit Suarez, & Figliuccium testari esse communem.

11 Affirmatiuam tenet Nugn. Rodriq. & alij, vt refert idem Bonaci. vbi supra. Hanc sequitur idem Alf. vbi supra sub n.75 qui dicit hanc opinionem non possumus negare esse tutiorem, & consulendam, vt certius fructũm indulgentię quis consequatur, & citat alios DD. & clariùs idem concludit par. 2. q. 14 sec. 4. n. 157. post Pinell. ibi allegatum, quam opinionem ampliat etiam in eo, qui paulò ante publicationem iubilei cõfessus est. Hanc affirmatiuam Figliuc. dicit esse probabiliorem, & tutiorem, licèt asserat negatiuam esse communem, vt sub d. n. 75. refert Alf.

12 Quid dicendum? Ego semper amplecterer affirmatiuam, non solum, quia tutior est, & ideò cõsulenda, sed quia in iubileo extraordinario pro onere iniungitur simpliciter, & sic cum lex non distinguat, nec nos distinguere debemus. arg. l. non aliter. ff. de lega. 3. & c. consuluisti. 2. q. 4. maximè quia peccata venialia sunt materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ, licèt non necessaria: ergo non iniungitur incongruum, vel superfluum, quod sufficit, vt est in ieiunio, visitatione, & alijs operibus, quæ non sunt de præcepto: videtur enim Summ. Pontif. requirere onera, & pia opera pro mortificatione, humilitate, & quadam pęnitentia eorum, qui iubileum lucrari volunt, vt ad id magis disponantur: & non est dubium, confessionem esse pium opus, & actum humilitatis, & mortificationis: nam posse Summum Pontificem intendere confessionem venialium, tanquam opus supererogationis, & exigere tanquam conditionem necessariam ad effectum consequendi indulgentiam, tenet nouissimè P. Auersa de sacram. pœniten. q. 10. sect. 2. vers. aliqui, &c.

13 Præterea ad confirmationem affirmatiuæ, præceptum ieiunij non obligat iuniorem 21. annis, & tamẽ iubileum non consequitur, qui non ieiunat, etiam si tali priuilegio sit munitus, vt concludit Bonaci. d. disp. 6. q. 1. punc. 5. n. 16. ergo hoc adimplementum non regulatur iuxta præceptum, vt tactum est pro negatiua

Digitized by Google

getiua opinione, vnde cum in tali ieiunio, & confessione, imò etiã in omnibus alijs iniunctis non sit diuersa ratio, nec etiam debet esse diuersa dispositio. vt l. fi. C. ad le. falci. cum simi.

14 Accedit etiam alia ratio, scilicèt ad remouendum scandalum, nam propter hoc tales tenẽtur se pręsentare coram Sacerdote saltem pro benedictione consequenda iuxta opinionem P. Megal. relati per Alf. sub d. n. 75. quam sententiam absolutè consulerem etiam ijs, qui vellent tenere opinionem negatiuam.

Benè tamen verum est, hanc rationem non afficere eum, qui ignoratur, quod non sit confessus, vndè in iubileo extraordinario tene affirmatiuam per rationes iam dictas.

15 Imò (& sic venio ad secundã partem quæsiti tertij) per dictas rationes idem dico de eo, qui nullum peccatum habet, quod tamẽ rarò contingere potest, cum septies in die cadat iustus, iux. tex. in c. septies. de pœnit. dist. 3. nisi ex inuincibili ignorantia quis statum suum nõ agnoscat, si quidem iste talis poterit confiteri peccata aliàs confessa, & absoluta, vt denuò ea detestetur, & nouam pœnitentiam agat, cum etiã talia peccata sint materia sufficiens, licèt non necessaria ad sacramentum pœnitentiæ, siuè ad absolutionem obtinendam, vt est notissimum, & docent communitèr Theologi, & expressit Bened. xj. in extrau. 1. de priuil. vers. cęterum, & tradit nouiss. Auers. de pœnit. q. 10. sect. 2. vers. posse quoque, maximè quia etsi ex sententia multorum D D. susceptor indulgentię dici potest contritus, & confessus, qui post vltimam confessionem non est lapsus, cum habitualiter perseueret in prima contritione, & confessione, tamẽ secundum Nugn. Bellarm. Caiet. & alios relatos per Eman. Sà. verbo indulgentia n. 3. confessio est facienda; quorum sententia in praxi videtur consulenda etiam ex mente Bonac. ne Pœnitens se exponat periculo non lucrandi indulgentiam, vt dicit d. q. 1. p. 5. num. 6.

Et hoc in iubileo extraordinario puto indubitatum, quia præfigitur pro opere adimplendo. In iubileo autem ordinario credo posse teneri contrarium, quia non videtur iniunctum pro onere adimplendo, sed sufficit, quod sit in statu tali, vt capax sit indulgentiæ. Vide infrà par. 4. cap. 7. n. 14. & 35. & 36.

Et quia dixi peccata aliàs confessa, & absoluta esse materiam sufficientem, quæri posset, quomodo intelligantur verba illa (absoluo te) si quis aliàs ęst absolutus. vide, quæ doctè, & subtilitèr de more traduntur per eũ-

dem

Digitized by Google

dem Auer. vbi supra q. 14. sect. 2. per totam: non enim insisto in hoc, ne prolixior euadam, cum tractatus noster sit de iubileo. Casu tamen, quo quis nollet peccata aliàs confessa confiteri, fortè posset petere cõmutationem. vide, quæ traduntur infrà par. 4. cap. 6. à n. 26. vsque ad 29. inclusiuè.

16 Ad quartum, quando confessio sit facienda. Resp. quod intra tempus iubilei, vt habet textus clarus in Bulla. in §. vt autẽ ibi. atque intra hoc ipsum tempus Sacerdotibus ab Ordinario approbatis peccata sua confiteantur, & die Dominico, &c. vnde sequitur, quod qui vult lucrari iubileum in prima hebdomada, potest quolibet die eiusdem hebdomadæ confiteri, vsque ad sabbathum inclusiuè; & sic dic de secunda hebdomada, in qua non est, qui contradicat.

Sed quid si in prima hebdomada confiteatur tantum, & in secunda exequatur cętera opera? vide, quæ dicuntur infrà par. 4. cap. 1. n. 2. 3. 4. 5. & 6.

17 Sed quæri potest, vtrum qui est in peccato mortali, teneatur ante omnia alia opera, confiteri? Dic, quod non, cum non sit necesse, vt quis sit in statu gratiæ, nisi in executione vltimi operis iniuncti: cætera autem sufficit, vt fiant benè saltem moraliter, ita vt quod fit, dicatur opus honestum, vt alibi tactum est, & firmat Bonac. de Sacram. disp. 6. q. 1. p. 5. n. 10. iunc. 15.

18 Sed quid dicendum, si post confessionem factam tempore iubilei quis incidat in lethale peccatum, seù recordetur alicuius culpæ mortalis non confessæ, an iterum teneatur confiteri ad lucrandum iubileum? Dic, quod sic, si adhuc sibi restat opus communionis: si autem Communio non esset vltimum opus, fortè sufficeret contritio, cum iam per vnicam confessionem videatur adimpletum opus iniunctum: in casu tamen huius iubilei opus vltimum videtur communio, vt infra suo loco dicetur, videlicèt c. seq. n. 5. ergo semper intra tempus debitum erit necessaria confessio, quæ sacræ communioni semper est præmittenda, vt in hoc casu ita firmat Bonac. d. punc. 5. n. 9. qui licèt teneat nõ esse necessariam, nisi contritionem ad effectum indulgentiæ, si non sequatur communio, tamen consulit etiam hoc casu cõfessionem, ne susceptor indulgentię se ponat periculo eã non lucrandi.

19 Et quia supra tactum est, quod qui vult suscipere iubileum, potest quolibet die vsque ad sequẽs sabbathum inclusiuè confiteri, dubitari potest, an die Dominico, qui sequitur post sabbathũ hebdomadæ, in qua quis intendit iubileum aquirere, ante Communio-

Digitized by Google

munionem possit quis confiteri, & lucrari iubileum. Alfons. d. q. 14. sect. 4. n. 160. ponit hanc quæstionem, & dicit esse duas opiniones, vnam affirmatiuam, alteram negatiuam, quam tanquam tutiorem dicit amplectendam; quia quo ad hoc hebdomada terminatur media nocte sabbathi versus diem Dominicam; & hæc placet, cum sit iuxta mentem Bullę, ponderando verba eiusdem in d. §. vt autem, ibi atque intra hoc ipsum tempus Sacerdotibus ab Ordinario approbatis peccata sua confiteantur: & no. verba (intra hoc ipsum tempus) idest intra hebdomadam, cum de hebdomada supra expresse loquatur, quæ quidem hebdomada terminatur die sabbathi, qui est septimus, & vltimus dies, vt patet, cum sola Communio fieri possit die Dominico, vt expresse cauetur in Bulla, & dicetur infra cap. seq. Subdit enim immediatè verba illa. Et die Dominico dicti sabbathi diem proximè sequente Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum percipiant, vnde ex hoc aperte colligitur, Dominicam esse extra hebdomadam, sequitur enim sabbathum, quod est finis hebdomadæ.

20 Distinctio autem, quæ fit à nonnullis, de confessione, & absolutione quo ad casus reseruatos, vel quo ad commutanda alia opera, scilicet die Dominico, cum omnia fiant à Confessario eligendo, non videtur admittenda, cum non sit diuersa ratio in vno, quã in alio casu, vt benè etiam firmat idem Alfons. vbi supra n. 162. Et hanc credo veriorem, & tutiorem, videlicet quod die Dominico Confessarius virtute iubilei in nullo se ingerere possit, scilicet cum ijs, qui hebdomada præcedenti iubileum lucrantur, cum die Dominico relictum sit tantum opus Communionis.

Si autem habeat peccatum aliquod non reseruatum, vtique confiteri poterit, sic exigente sacra communione.

21 Sed quid, si quis hoc tempore, nempe vsque ad mediam noctem sabbathi versus Dominicam, non habeat copiam Confessarij, & ideo inconfessus, sed tamen contritus post alia opera iniuncta communicauit, an lucretur iubileum? Zenar. allegatus per Alfons. vbi supra n. 163. tenet affirmatiuam, quia non præsumitur, quod summus Pontifex voluerit obligare ad impossibile: sed tamen hanc opinionem non puto tutam ex dictis supra n. 9. & innuit etiam idem Alf. vbi supra. Vix tamen puto id contingere posse.

22 Ad quintum de muto, qui non potest confiteri, an possit lucrari inbileum. Dico aut mutus est ita ma-

Digitized by Google

ità malè dispositus, vt per signa, & nutus confiteri non possit, nec alia opera adimplere; & credo, quod talis non possit lucrari iubileum: si verò secus, aliud puto dicendum, quia quantum in se est, satisfacit confitendo per nutus, & signa, quod tamen intelligo in muto, & etiam surdo simul adeò perspicacis, & acuti intellectus, vt signis, & nutibus percipiat saltem in genere detestationem peccati, & propositũ abstinendi de cætero, nam quod iste possit confiteri, & absolui, tradunt DD. & præcipuè Nald. in Summa ver. mutus. in princ. Et licèt Graff. allegatus per Alf. teneat contrarium, Alfonsus tamẽ tenet contra Graff. d. sect. 4. n. 164.

23 Idem videtur dicendum de quocunque alio impedito loqui, siuè ex infirmitate, siuè ex ignorantia idiomatis: isti enim si per signa, & nutus possunt significare Confessionem peccatorum, nõ est eis deneganda absolutio, & consequenter in hoc satisfaciunt menti Summi Pontificis, dummodo etiam alia iniuncta exequãtur, aut in alia opera eis legitimè commutentur, arg. tradit. ibi. licèt Alf. faciat differentiam in moribundis, videlicèt, Aut est spes loquelam recuperandi, aut non, quia primo casu talis non est absoluendus, si per signa, & nutus confiteatur; secundo casu secus. An autem sit talis spes, an non, puto difficillimum iudicare. Ego credo Sacerdotem bona fide absoluentem eum, qui loqui non potest tunc, sed tamen per signa, & nutus se ostendit pęnitentem, & aliquam culpam per eadem signa fatetur, benè facere, etiam si nullam habeat reflexionem animi ad hoc, an sit spes vt recuperet loquelam, si quo ad alia peccata non significata habeat contritionem; vel saltem sufficientem attritionem; imo si Confessarium requisisset, & ad eius aduentum loquelam ammisisset, esset sacramentalitèr absoluendus, etiam si nulla signa prębèret, quod est fortius, vt expressè cauetur in Rituali Romano sub tit. de Sacram. Pœnit. vers. quod si inter confiten. in illis verbis. Vel etiam si confitendi desiderium siuè per se, siuè per alios ostenderit, absoluendus est. si tamen posteà loquelam recuperaret, deberet perfectè, & complètè confiteri, vt est notissimum.

Sed quia supra tactum est, si per se, vel alios desiderium confitendi ostenderit, quæri posset, an sufficiat tantùm vnus testis, qui audierit infirmum vocasse Confessarium, seù dixisse, se desiderare confessionem facere, vel quid simile: & videtur, quod non, si quidem dictum vnius dictum nullius, cum in ore duorum, vel trium stet omne verbũ.

c.licet.

c. licet. de testi. Tamen contrarium puto verum, nam agitur de fauore animæ, & nulli fit præiudicium. ad tex. iunc. glo. in c. paruulos. c. placuit de infantibus, &c. cum itaque de consec. dist. 4. & in term. nostris an petierit Confessarium tenet Syluest. ver. testis. sub n. 5. vers. secundò in his. Vndè tu Sacerdos cum vocatus fueris, ne sis scrupulosus, dum vnum testem habeas, qui tamen sit sanus mente, & intellectu.

Vnum aduertendum puto pro regula in hac materia, quæ frequenter contingere potest, licèt respectu iubilei rarò, quod quando quis moribundus ostendit signa pœnitentiæ, ac displicentiæ peccatorum, si talia signa ordinantur ad sacramentalem confessionem, & absolutionem, vt est, quando petitur Confessarius, & similia, est danda absolutio. si verò fiant aliqua signa absque ordine ad sacramentum, vt supra, secus; vt contingeret, si quis post recitationem Confessionis generalis vulgò Confiteor, putà, in principio Missæ, vel ad Primam, vel Completorium, vel casu simili, repẽtino casu corriperetur, & sensuum, ac rationis vsu destitueretur. Si autem casus esset dubitabilis, possit absolui sub conditione. tradit optime P. Auers. de Sacram. Pœnit. q. 10. sect. 16. vers. sed hæc res.

24 Ad sextum an sit occasione iubilei necessaria confessio generalis, videlicèt de omnibus peccatis totius ante actæ vitæ. Breuitèr dico, quod non. irà Alf. post D D. quos allegat, & sequitur, d. sect. 4. n. 159. & non puto dubitandum in hoc, cum per Bullam id non imponatur: Consulerem tamen, vt qui non fuit hactenus diligens in confitendo, vel fortè non perfectè dispositus, occasione iubilej confessionem generalem faceret, saltem ab aliquibus annis, vel mensibus citra, quibus sibi videri potest non absolutè satisfecisse: id enim esset quærere quietem mentis, & propriæ conscientiæ tutius consulere: bonarum enim mentium est, ibi etiam culpam agnoscere, vbi culpa non est. c. cum humilitatis. 22. q. 2. & c. ad eius. in fi. 5. dist.

25 Sed hic quæri posset, an quis recipiat indulgentiam plenissimam omnium peccatorum commissorum à die, quo rationis particeps extitit: & videtur, quod non, sed tantùm peccatorum occasione iubilei confessatorum, cum confessio præmittenda sit; alias si id non operaretur, non esset necessaria ei, qui nullum peccatum commisit post vltimã confessionem. Contrarium tamen est verum. vide quæ tradidi suprà par. 1. cap. 4. per totum, & c. 5. n. 13.

Nec

Digitized by Google

Nec obstat, quod dicitur de Confessione, quia imponitur pro onere, quod communiter, & frequenter solet esse necessarium fidelibus, quia de facili labuntur in culpas; leges enim adaptantur ad ea, quæ frequentius accidunt. l. nam ad ea. cum l. seq. ff. de legi. vltra quod imponitur pro onere.

26 Ad septimum. An Confessarius occasione iubilei possit imponere Pœnitenti pœnitentias salutares ad arbitrium, vel sufficiat pœnitenti facere, quod in Bulla iniungitur. Prima fronte videtur respondendum negatiuè videlicet Confessarium non posse iniungere pœnitentias, &c. nam pœnitentia respicit satisfactionem, & clarum est adimplentem omnia sex onera iniuncta, plenissimè satisfacere, & plenissimam indulgentiam consequi, vt ex Bulla clarè elicitur in §. quę omnia. ibi. omnibus, qui præfata adimpleuerint, plenissimam peccatorum indulgentiam concedimus. & facit glo. magn. in extrau. 1. de pœnit. & remiss.

Sed tamen contrarium est verum, & non est disputandum, cum in eadem Bulla expresse caueatur in eo. §. ibi. iniuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis casibus pœnitentia salutari, ac alijs iniungendis. & in Summario ibi. imponendo nondimeno à detti fedeli, e ciascuno d'essi penitenza salutare. Omittitur tamen in Summario clausula (nei predetti casi) & est aduertendum, quod verba prædicta posita sunt in Summario in vers. E possa il detto Confessore. vbi agitur de commutatione votorum, per quod videtur innui, Confessarium posse imponere salutarem pœnitentiam in commutatione votorum: sed non est sic, cum textus, postquam locutus est de facultatibus Confessarij, in fine addat dicta verba (iniũcta tamẽ eis, &c. quæ referuntur ad casus supradictos, nempè ad casus reseruatos, & excessus quoscunque, vnde in summario melius esset, si vers. il qual Confessore, &c. continuaret vsque ad verba illa. imponendo nondimeno, &c. inclusiuè. & quod verba (iniuncta tamẽ, &c.) referantur ad casus, & non ad commutationem votorum, satis claret ex verbis Bullæ (in supradictis casibus) quæ desunt in summario. idem tangitur infra p. 4. cap. 6. n. 23.

27 Quod autem dictum est posse imponere pœnitentiam salutarem, intellige sine dubio quo ad pœnitentiam præseruatiuam secundum Graff. allegatum per Alf. d. sect. 4. n. 165. quam sententiam P. Nald. in Summa ver. indulgentia n. 15. sequitur; vbi dicit esse magnam differentiam inter huiusmodi pœnitentias pręseruaa-

ſeruatiuas, & aliàs curatiuas, ſeù punitiuas, nam ſi pœnitens nollet ſatisfacere per tales pœnitentias, ſcilicèt præſeruatiuas, ſed per indulgentiam iubileam, non eſſet abſoluendus.

Quo ad pœnitentias autem punitiuas, ſeù curatiuas, videlicèt reſpectu præteritorum, Nal. dicit, ſententiam contrariam eſſe communem; ſed tamen in caſu noſtri iubilei credo contrarium per verba generalia Bullę ibi. iniuncta tamen eis pœnitentia ſalutari. & ab hac ſententia non videtur diſſentire Alf. quatenus fundat ſe in verbis illis (iniuncta aliqua pœnitentia ſalutari) vt ſub d. n. 165.

Vndè tanto magis teneret hanc opinionem expreſsè, ſi fundaret ſe in verbis Bullæ noſtræ, quæ habet verba generalia (iniuncta pœnitentia ſalutari, &c.) ex verbis enim illis, vbi ſe fundat Alf. videlicèt (iniuncta aliqua pœnitentia ſalutari) poſſet argui, vt mens Pontificis ſit, quod ſaltem iniungatur pęnitentia præſeruatiua, & ſic erit aliqua pęnitentia: in noſtro autem caſu ſecus, cum appellatione pœnitentiæ ſalutaris veniat tàm præſeruatiua, quàm punitiua, cum enim lex non diſtinguat, nec nos diſtinguere debemus. arg. tex. in c. conſuluiſti. 2. q. 4.

28 Crederem tamen hoc totum pendere ab arbitrio Confeſſarij, ità vt ſi vellet tantum pręſeruatiuam imponere, id facere poſſet, quia cum verba Bullæ non cogunt ad id. & non diſſentit Alf. ſub d. n. 165. & arguitur etiam ex Summario ibi. Ad arbitrio del Confeſſore. licèt in textu verba illa non habeantur. Bene tamen verum eſt, quod pœnitentiæ ſunt arbitrariæ, conſideratis tamen conſiderandis, vt egregiè per Nau. in man. cap. 26 n. 17. 18. 19 & 20. Non laudarem tamen Confeſſarium illum, qui nullam imponeret, cum expreſſe ſit contra textum, ergo aliquam iniungere debet, vt clarè ex tex. Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8. & tenet P. Auerſ. de ſacram. pęnit. q. 13. ſect. 2. in princ.

An autem Pœnitens, qui acceptauit pœnitentiam, teneatur eam facere, & exequi, ſtante quod ſatisfaciat per aſſecutionē iubilei, vide tradita ſupra par. 1. cap. 4. n. 7. & ſeqq.

29 Cum autem pœnitentia imponitur, & acceptatur, obligat ſub mortali, vt clarum eſt, & per Nau. cap. 21. n. 43. ſi materia non eſt leuis. vide tradita infra par. 4. cap. 5. ſub n. 138. verſ. an autem ſit.

Nec grauatos ſe ſentiant Pœnitentes propter impoſitionem pœnitentiæ, quia vltra multas cauſas, propter quas quis deberet libentèr acceptare, vna præcipua eſt, quia per tales pœnitē-

tias,

Digitized by Google

tias, seù opera imposita in pœnitentiam, homo consequitur augumentum gratiæ: per solam autem indulgentiam, pœnæ remissio fit: plus autem valet vnus gradus gratiæ, quam magna pœnæ remissio. ità Tolet.lib.6.cap.23. in fi.

Adde quæ supra tetigi de vtilitate sacramentalis satisfactionis par.1.c.5. sub n.8. vers. quantam.

30 Ad octauum, Qua forma absolutionis vti debeat Confessarius. Breuitèr dic, quod cum concessio indulgẽtiæ plenissimę sit in forma gratiosa, & non commissaria, sequitur, vt quilibet fidelis adimpletis adimplendis ipso iure aquirat indulgentiam, quæ in sui concessione non indiget ministerio alieno: vnde Confessarius in absoluendo seruare debet formam ordinariam, quia ex quo est electus per pœnitentem, statim virtute Bullæ aquirit facultatem absoluendi ab omnibus, nec ab hac sententia dissentit idẽ Alf. d. sect. 4. in fi. Habeat tamen in mente absoluendi etiam à reseruatis quibuscunque, vt completè consulat saluti Pœnitentium. Vndè non erit ei necesse dicere. Virtute iubilei ego absoluo te à quibuscumq; peccatis etiam reseruatis, & concedo tibi plenissimam indulgentiam, vel similia verba, vt nonnulli faciunt, prout audiui. vide tamen, quæ dicuntur infra par. 4. cap. 5. n. 90. iunc. n. 47. 48. 50. & 51. præcedd.

Non tamen dico, male facere, si his tantum vtatur verbis. virtute iubilei Ego te absoluo, &c. quia non repugnat veritati: sed (concedo tibi plenissimam indulgentiam) &c. sunt verba superflua, quia concessio est gratiosa, vt dictum est, & datur immediatè à Summo Pontifice, & ipso iure adimplentibus adimplenda.

31 Ad nonum, & decimum. An possit eligi Confessarius non admissus, nisi ad confessiones certarum personarum, vide infra p. 4. cap. 5. à n. 7. vsq; ad 12.

Et generalitèr, quomodo intelligatur electio Confessarij ab Ordinario loci admissi, vide infra suo loco, videlicèt eo. cap. 5. à n. 1. vsque ad 18. vbi de hac materia abundantèr.

CAPVT SEXTVM.

De Sexto onere iniuncto, videlicèt Communionis.

In quo, vt ordinatè procedamus, videndum erit de quinque.

1. Quando sit communicandum.
2. An communio sit vltimum opus
3. An pueri, qui adhuc non communicant ex defectu ætatis, sed tamen sunt supra septimũ annum, possint lucrari iubileum.

4. An

4. An dato, quod vltimum opus sit Communio, qui in peccato mortali communicat, satisfaciat, & quid de veniali.

5. An, casu quo non satisfaciat pro tunc, recedente culpa per pœnitentiam, & adueniente gratia ex post facto, reuiuiscat indulgentia.

CAPVT SEXTVM.

SVMMARIVM.

Quando sit Communicandum. n. 1. 2. 3. 4. & 6.
An sit Vltimum opus Communio. n. 5.
Hebdomada quando terminetur: sub dd. n. 2. & 4.
In vltimo opere quis debet esse in statu gratiæ, vt aquirat indulgentiam plenissimam. n. 3.
Pueri, qui ex defectu ætatis adhuc non communicant, an possint capere iubileum. n. 7.
Minor septennio communiter reputatur immunis à culpa. sub d. n. 7.
Opus iubilei, seù indulgentiæ est opus satisfactorium. sub n. 7.
Quid de his, qui patiuntur tussim, vomitum, vel quid simile. & quid de eo, qui inaduertenter bibit ante communionem. sub d. n. 7.
An qui in peccato mortali communicat, satisfaciat. n. 8. & 11.
Et quid si in veniali. n. 9. & sub 11. & an, & quomodo veniale sit contra legem Dei. sub eo. n. 9. Et an impediat effectum indulgentiæ plenissimæ, d. n. 9.
Pœna non remittitur, nondum remissa culpa. sub n. 8. & 10.
Culpa venialis non priuat gratia, licet Deo displiceat. eo. n. 10.
An Indulgentia aquiratur saltem quo ad remissa, quando veniale tantum obstat. n. 10.
Veniale non remissum in hoc sæculo, quo ad culpam an & quomodo remittatur in Purgatorio. sub eo. n. 10. remiss.
Culpa venialis an repugnet communioni n. 11.
Culpa venialis non debet esse intrinsecè mala in executione operis iubilei: si autem extrinsecè mala sit, non impedit. sub d. n. 11.
Casu quo quis non satisfaciat pro tunc, an recedente culpa mortali per pœnitentiam, reuiuiscat indulgentia. n. 12. & seqq.
Argumentum à contrario ex dictis Doctorum non sumitur. sub n. 14. in fi.

Caput VI.

1 ET ad primum quando sit communicandum, Breuitèr dico, in die Dominico post sabbathum illius hebdomadæ, in qua factæ sunt visitationes, eleemosinæ, ieiunia, &c. vt ex contextu Bullæ in §. vt autem, ibi. & die Dominico dictũ sabbathi diem proximè subsequẽte, &c. Sanctissimum Eucharistię Sacramentum deuotè percipiãt. Et in Summario, ibi. E si communicaranno la Domenica prossima seguente. Et in hoc nulla insurgit dubitatio.

2 Sed quid, si quis alio die post dictam diem Dominicam communicet? Dic, quod satisfacit, si id faciat cum participatione

Conf.

Digitized by Google

Confessarij id concedentis; & hoc etiam est clarum per verba eiusdem Bullæ in dicto §. ibi. vel alio dictæ sequentis hebdomadæ die arbitrio Confessarij, & in Summario ibi. ò in vn'altro giorno della settimana seguente ad arbitrio del Confessore. per quę verba Confessarius poterit arbitrari quemcunque diem sibi bene visum, dummodo sit sequentis hebdomadæ, & non vltra, etiam si protrahat vsque ad sabbathum inclusiuè, nam vsque ad Dominicam non est tutum, cum, propriè loquendo, hebdomada terminetur in sabbatho, qui dies septimus est, vt tactum est supra hac ea. par. 3. cap. 5. n. 19.

3 Et aduertè, quod consultè S. P. addidit d. verba in Bulla (vel alio dictæ sequentis hebdomadę die) vt remoueret scrupulos multorum, cum de prima die post Dominicam plures DD. id concedant per rationem illam, quia quæ fiunt in continenti, inesse videntur: quod tamen non esset tutum, vt optime tangit Alf. de off. & pote. Confess. par. 2. q. 14 sect. 5. n. 169.

4 Sed fortè dubitari posset, an quo ad diem Dominicam requiratur, vt Communio fiat de licentia, seù arbitrio Confessarij, cū dicta verba (arbitrio Confessarij) sint posita in fine clausulæ, & sic videantur referri ad omnia supradicta per iura, quæ ad hoc congerit Gabr. còm. concl. lib. 6 de clauf. concl. 9. in princ.

Quo tamen non obstante, credo solum referri ad clausulam viciniorem, quod non est incongruum ita suadente subiecta materia. ad trad. per Mart. de clauf. par. 4. clauf. 23. n. 5. & sub n. 22. & per Gabr. d. concl. 9. n. 3. nam de Dominica non videtur dubium, cum etiam in Bullis aliorum Summorum PP. satis clarè habeatur; in quibus tamen non adduntur verba. arbitrio Confessarij: (licèt in Bulla iubilei extraordinarij Pauli Quinti etiam alij dies reperiantur, & non addantur verba, ad arbitrium, &c.) quia cum Dominica dies sit festum, & fideles iam in hebdomada fuerint dispositi ad Sanctissimam Communionem, non visum fuit ab re ponere Dominicam quodammodo pro vltima die hebdomadę quo ad hoc, cum alij dies vltra Dominicam fisicè sint omninò extra hebdomadam, meritò si de his disponitur, dispositio fit ad arbitrium Confessarij, qui pęnitenti poterit concedere, prout melius sibi visum fuerit consideratis considerandis in ipso pęnitente, ne ipsemet sit iudex in suo proprio interesse; posset enim pęnitens fortè differre communionem ex aliqua causa minus iusta, vel ex nimia tepiditate, vel ex alia causa indecente, cum tamen

Confessarius, si cognouerit hoc, non debeat tolerare, sed visa sufficienti dispositione, ordinare, vt die Dominico communicet, vt quamprimum thesaurum Ecclesiæ lucretur ad confusionem dęmonis, qui semper insidiatur animabus nostris.

5 Ad secundum dubitari potest, an Communio sit vltimum opus iniunctum. & dic, quod sic, cum arguendo ab ordine litteræ, quod non est incongruum, maximè quando alia coniectura non habetur in contrarium, tale opus sit vltimum, vt in dicta Bulla §. vt autem expresse habetur. & meritò, quia cum sit opus dignius cęteris, & quo fidelis magis reperitur dispositus, cum supponat statum gratiæ, & magis vniat nos cum ipso Deo iuxta illud Io: cap. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo; debet expleri in vltimo loco, si quidem susceptor indulgentiæ plenissimæ debet esse in gratia in consummatione vltimi operis requisiti, vt est notissimum, & firmat Bonac. de sacra. disp. 6. q. 1. punc. 5. n. 4. 10. & 11. & tactum est supra par. 1. c. 2. n. 2. & par. 3. cap. 1. n. 9.

6 Sed quid, si quis communicaret alio die hebdomadæ ante Dominicam, nunquid satisfaceret? Casus est dubitabilis in terminis nostræ Bullæ, ex qua videtur posse responderi negatiuè; & fortè mens summi Pontificis fuit, vt die Dominico, vel alio sequentis hebdomadæ communicent ad hoc, vt communio sit vltimum opus, & id quidem ad effectum, vt tutius aquiratur indulgentia; & esse tutius, non est dubitandum per rationes supra tactas n. præced. Nec ego vnquam consulerem aliter fieri, licet stante quod simus in materia fauorabili, vt alibi dictum est, non auderem affirmatiuam sententiam refellere, si id bona fide fiat, vel ex aliqua causa iusta, seu saltem iusta putata, dummodo in executione, & adimplemento vltimi operis quis sit in gratia, vt supra, aliàs non lucraretur indulgentiam plenissimam. Iuxta verò tenorem secundi Iubilei non videtur disputandum, vt infra par. 4. cap. 6. n. 15. & 20.

7 Ad tertium An pueri, qui adhuc non communicant ex defectu ætatis, sed tamen sunt suprà septimum annum; possint lucrari iubileum. Ad responsionem suppono opus iubilei, seù indulgentiæ esse opus satisfactorium, vnde cum satisfactio supponat debitum culpę, ille, qui non fuit, nec est in tali debito, non eget satisfactione, & sic minores septem annis, qui communitèr reputantur immunes à culpa actuali, non est, cur quærant iubileum; vnde maiores septennio, qui

reputan-

reputantur indigere satisfactione, essent deterioris conditionis maioribus 14. si non possent iubileum lucrari, quod est valdè absurdum; & sic non concedendum. Benè verum est, quod cũ de iure non possint communicare, dicuntur quodammodo impediti; & clarum est, impedimẽtum simile non excusare, vt supra firmatum est hac ea. par. 3. cap. 3. n. 31. & cap. 5. n. 13.

Remedium ergo erit, vt eligant Confessarium, qui in vim commutationis iniungat eisdem aliud opus loco communionis, & etiam aliud loco ieiunij, & similitèr de alijs, si quæ sint, quæ ipsi exequi non possint, & sic lucrabuntur iubileum, & puto notissimum, & est de mente DD. vt in simili dicitur specialitèr de ieiunio, ad tradita per Alf. par. 2. q. 14. sect. 3. n. 148. & ponit casum in term. sect. 5. n. 166. vbi idem dicit de patientibus tussim, vomitum, vel quid simile, & citat etiam Graff. qui idem asserit de eo, qui die Dominico de mane inaduertentet bibit, licèt quo ad hoc differri possit in seq. & sic non communicari.

8 Ad quartum. An dato, quod Communio sit vltimum opus, qui in peccato mortali communicat, satisfaciat. Resp. sine aliquo dubio non satisfacere, neque iubileum lucrari, quia implicat contradictionem, remitti pęnam nondum remissa culpa; nam obligatio ad pœnam æternam remanet, quandiu culpa mortalis manet, vnde cum peccator dignus sit æterna pœna, quomodo capax erit condonationis pœnę? ad trad. per Bonaci. de Sacram. disp. 6. q. 1. punc. 5. n. 4.

9 Sed quid de veniali? Dic, quod si veniale sit obstinatum, seù non remissum, talis in veniali communicans non satisfacit pro plenissima iudulgentia, quia cum plenissima indulgentia remittat omnem pœnam etiam debitam in purgatorio, & pro veniali non remisso anima retineri possit in purgatorio, sequitur, quod indulgentia plenissima non aquiratur, stante obice peccati venialis per pœnitentiam non deleti: clarum est enim, virum iustum, si peccatum habeat veniale nondum remissum, non posse remissionem pęnæ illius peccati obtinere, donec peccatum quo ad culpam deleatur, vt ait Bonaci. de Sacram. d. disp. 6. q. 1. punc. 1. sub n. 1. in fi. post DD. quos allegat, & sequitur: indulgentia enim non remittit culpã, etiam venialem, sed pęnam tantum, vt ibi sub d. n. 1. vers. dicitur pęnæ. nam peccatum etiam veniale est contra legem Dei æternam, non quidem contrarietate sufficienti ad assecutionem æternæ vitæ impediendam, vt est mortale, sed ad eam differendam,

Digitized by Google

dam, vnde est contrarietas secũdum quid iuxta tradita per Nau. in man. prælud. 7. n. 11.

10 Sed nunquid hoc casu, si tantum vnicum veniale obstet, indulgentia aquiratur quo ad reliqua peccata iam deleta? Resp. quod clarum est, vt dixi supra n. 8. pœnam non posse dimitti nondum remissa culpa. Sed in casu proposito culpa reperitur remissa quo ad omnia peccata, præter vnum veniale; ergo indulgentia plenaria, quæ compræhendit omnia peccata deleta, siue pœnas eisdem respondentes, iuuabit quo ad omnia remissa; in quo nõ obstat, nec obicem ponit peccatum veniale non remissum, quia illud non reddit incapacem indulgentiæ, quæ respicit solum statum gratiæ in aquirente, vt pluries firmatum est in corpore huius operis; Siquidem venialia non ambulant paribus passibus cum mortalibus, quorum vnum non remittitur, si non remittantur omnia; gratia enim non datur, nisi iustis, & Dei amicis: Eum autem, qui est in mortali, clarum est, esse Dei inimicum, & mereri pænam æternam. Et tradit idem Bonac. vbi supra d. q. 1. punc. 1. n. 1. Sola autem culpa venialis (vt tradit idem de præcept. disp. 2. q. 3. p. 2. n. 4.) non priuat gratia, nec charitate, quamuis Deo displiceat. & quod de vno veniali dixi, idem etiam puto de pluribus per identitatem rationis.

Veniale autem non remissum in hoc sæculo quo ad culpam, an, & quomodo remittatur in purgatorio, vide egregiè tradita per P. Auers. de Sacram. pœnit. q. 4. sect. 2. per totum.

11 Si autem Communio non sit vltimum opus, Dic, quod adhuc talis, de quo supra n. 8. peccat mortalitèr, ita vt potius committat sacrilegium, quam satisfaciat oneri iniuncto, cum Communio sit talis naturæ, vt fieri debeat in statu gratiæ, aliàs non satisfit oneri iniuncto. ità in term. firmat Alf. d. par. 2. q. 14. sect. 3. n. 168. talis enim Communio non potest dici Communio iuxta mentem Pontificis, vt ibi subditur. faciunt, quæ supra cap. præced. dicta sunt de confessione n. 1.

Culpa tamen venialis non repugnat communioni, vt clarum est, quia per eam quis non desinit esse in statu gratiæ; & est differentia communicare in peccato veniali, quando communio est vltimum opus, vt supra firmaui n. 9. & quando non est, vt hic: Benè tamen verum est, quod talis culpa venialis non debet esse intrinsecè mala cum ipsa communione, quia eo casu communio non esset facta deuotè, piè, & religiosè, vt debet, putà si quis cõmunicaret ob vanam gloriam, quę constituat culpam venialem, quia

Digitized by Google

quia eo casu communio non esset opus honestum, & bonum saltem moraliter: secus, si quis communicaret deuotè quidem, & taliter, vt dici posset id factum esse ad Dei gloriam, vel vt iubileum lucraretur, non tamen eum pęnitet peccati venialis, quod iam commisit, tunc enim tale peccatum est quidem extrinsecum respectu Communionis, & non impedit. vide, quæ tradidi supra de Visitatione Ecclesiarū hac par. 3. cap. 1. n. 2. & 3. ac 12. 13. 14. & 15. & in hoc nobene aduerbium (deuotè) quod etiam hic in Communione ponitur. ibi Eucharistiæ Sacramētum deuotè percipiant. Et in Summario ibi. Si communicaranno deuotamente. Et dic omninò, vt dixi supra de Visitatione Ecclesiarum d. cap. 1. a n. 2. vsque ad 9.

12 Ad quintum. Casu quo quis non satisfaciat pro tunc, an recedente culpa mortali per pęnitentiam, & adueniente gratia ex post facto, reuiuiscat indulgentia. Casus est difficilis, & reperio duas opiniones. prima est affirmatiua, quod reuiuiscat. Hęc opinio attribuitur Syluestro in ver. Indulgentia. q. 7. ità Nau. de iubil. not. 17. n. 2. & Bonac. de Sacram. disp. 6. q. 1. punc. 5. n. 13 quam etiam dicit esse Palud. & Enriq. licet Nau. citet Palud. contrarium asserentem.

13 Secunda est negatiua, quam tenet idem Nau. vbi supra contraria omninò reiecta. Hanc sequitur Suarez, Coninc. Nugn. Riginal. Eman. Sà, & alij, vt ref. Bonac. d. n. 13. vbi, & ipse, qui dicit primam esse probabilem, hanc secundam tenet tamquam probabiliorem.

14 Et re vera nulla alia ratio pro prima adduci posse videtur, nisi, quod sicut per pœnitentiam reuiuiscit quodammodo satisfactio sacramentalis facta in statu peccati, ita reuiuiscere videtur indulgentia. Sed tamen cum sit in his diuersa ratio, debet etiam esse diuersa dispositio: ratio enim est diuersa, quia reuiuiscentia videtur esse propria sacramentorum, quibus efficacius applicātur merita Christi, quàm per indulgentiam: & si vis etiam, esse eandem rationem, dico, quod nec sacramenta reuiuiscunt, quando in ipsorum susceptione appositū fuit impedimentum repugnans substantiæ sacramenti, ergo neq; reuiuiscit indulgentia, cuius essentię repugnat existentia in statu peccati mortalis; implicat enim contradictionem auferre pęnam remanente culpa, vt optimè ex eo. Bonac. vbi supra, vbi habentur etiam aliæ rationes pro hac secunda opinione, quam omninò puto tenendam, cum alia sit pęnitus incerta, siquidem non constat, applicationem indulgētiæ

tiæ remanere in acceptatione Dei, donec tollatur peccatum, est enim certum, in susceptore indulgentiæ requiri gratiam, vt per omnes, & præcipuè Bonaci. vbi supra n. 4. & est etiam certũ, quod in Bulla non exprimitur, recedente fictione, siuè culpa, indulgentiam obtineri, vnde cum tantum valeant, quantum sonãt, non erit recedendum à secunda sententia, quam (si benè aduertatur) nec etiam Syluest. quem DD. faciunt auctorem primæ sententiæ affirmatiuę, reijcit, sed tantum dicit, quod duo requiruntur ex parte suscipientis, primo, vt sit in statu merendi, idest in charitate, vndè non valent existentibus in mortali, saltem pro tunc; ex quibus verbis per argumentum à contrario sensu videtur tenere, quod si non valent pro tunc, valeant recedente fictione, & peccato; quod tamen expresse non firmat; imò n. 21. dicit expressè, existentibus in mortali indulgentiæ non valent; & sic apertè videtur Syluest. non dicere contrarium ex professo, & præuia disputatione, sed solùm tangere punctum, & consequentèr illud relinquere considerandum, cum posteà per verba d. n. 21. firmetur expressè secunda sententia negatiua; imò argumentum à contrario ex dictis Doctorum non sumitur, vt dixit Rota inter impressas per Pacif. de Salu. interd. decis. 219 n. 8. quę est repetita in decis. 276

Quare si vis iubileum lucrari, in vltimo puncto vltimi operis esto in statu gratiæ, vt supra conclusum est n. 5. & casus non erit disputabilis. Sed quia intrat materia confessionis informis, vide abundanter, quæ traduntur infrà par. 4. cap. 5. n. 83. & 84.



PARS IV.

Digitized by Google

PARS QVARTA

Deueniendo ad quartam, & vltimam Partem huius Tractatus, circa priuilegia, & gratias concessas per hanc Bullam, vt pariter ordinatè procedamus, erit videndum de quinque priuilegijs, quæ per Bullam Sanctissimi conceduntur fidelibus, videlicèt.

P. DE Priuilegio concessionis duarum hebdomadarum pro maiori commoditate fidelium. & de hoc in primo cap.

2. De priuilegio dilationis temporis respectu iter agentium, & nauigantium. & de hoc in secundo Cap.

3. De priuilegio commutationis operum, vel dilationis in tempus proximum respectu impeditorum, & quinam veniant appellatione impeditorum, & de hoc in 3. Cap.

4. De priuilegio electionis Confessarij, & hoc in 4. Cap.

5. Agetur de qualitate, & auctoritate huiusmodi Confessarij electi, & consequenter de priuilegio Pęnitentium circa absolutionem censurarum, & peccatorum, ac commutationem votorum: hoc enim triplicatum priuilegium ponitur hic pro vno, quia respicit immediatè liberationem pęnitentis à vinculis, scilicèt censurarum, peccatorum, & votorum, cum cætera supradicta respiciant aquisitionem iubilei: & quia hæc triplicata facultas Confessarij redundat in commodum, & priuilegium Pęnitentium, ideo de hac materia ponitur solum quintum capitulum, licèt cęteris prolixius.

Prætetea quia hoc Anno M. DC. IIL. publicatum est secundum Iubileum eiusdem Sanctissimi D. N. D. INNOCENTII X. erit etiam videndum de nonnullis circa illud, & hoc in 6. Cap.

Tandem propter vicinitatem tēporis Iubilei Ordinarij, quod erit de Anno 1650. agetur de nonnullis ad eandem materiam pertinentibus, & scitu, ac notatu dignis. & hoc in 7. & vlt. cap.

O per

Digitized by Google

per quæ erit expletus præsens Tractatus.

CAPVT PRIMVM.

SVMMARIVM.

Hebdomadarum duarum priuilegium, quomodo intelligatur. n. 1. 2. 3. 4. 5. 7. & 13.
Papa cunctorum Credentium saluti prospicere astringitur. sub n. 1.
Onera iniuncta an partim in prima, partim in secunda hebdomada expleri possint. n. 2. 3. 4. 5. & 11.
Propria malitia nemini prodesse debet; nec bonitas, seù bona fides obesse. sub d. n. 5.
Resipiscens, & sententiam mutans in melius an possit iubileum lucrari, si id in fine hebdomada agat. n. 6. & 12.
Dominica sequens an sit extra hebdomadam præcedentem, vel cum ea computetur. n. 8.
Iubileum qui non est lucratus in prima, nec in secunda hebdomada, num possit adire alia loca, in quibus viget, & ibi lucrari. n. 9.
An iubileum possit quis lucrari bis, videlicèt in prima, & in secunda hebdomada. n. 13.
Prima opinio est negatiua. ibidem.
Secunda est affirmatiua. n. 14.
Opinio Auctoris. n. 15. & 16.
S. Archangeli Terra nobilis, &c. sub eo. n. 16.
Pater Alfonsus de Leone laudatur. d. n. 16.
Cautela notabilis in materia præmissa. n. 17.
& vtilis quo ad absolutionem. n. 18.

Caput I.

1 DE Primo priuilegio duarum hebdomadarum, de quo in Bulla §. vt autem. ibi. vt qui in hac Vrbe sunt, dicta hebdomada, aut saltem altera sequenti; qui verò extrà Vrbem, proxima, aut altera sequēti hebdomada post præsentium notitiam, &c. vbi no. aduerbium (saltèm) ex quo denotatur, quod pro maiori commoditate fidelium Summus Pontifex addit hebdomadam sequentem, vt qui non possunt in prima, saltem secunda expleant id, quod iniungitur: quod aduerbium licèt non sit additum secundo loco pro existentibus extra Vrbem, habetur tamen pro repetito, vt omnes vno iure censeantur; non enim conuenit, vt hi sint deterioris conditionis in hoc, quam in Vrbe existentes, cum omnes à communi Patre ęquè dilecti prę sumantur, cum Papa cunctorum Credentium saluti prospicere astringatur, vt in extrau. quemadmodum. de pœnit. & remiss. vers. Nos, qui vniuersorum.

2 Hinc dubitari potest, an qui vult lucrari iubileum, possit explere onera iniuncta partim in prima hebdomada, & partim in secunda. & stante, quod duæ hebdomadę concedantur ad maiorem commoditatem, non est dubi-

dubium, quin maior commoditas habeatur, si puta; quis in prima hebdomada visitet Ecclesias, in secunda ieiunet: vel in prima ieiunet feria quarta, & sexta, & in secūda ieiunet in sabbatho, & sic de alijs. Huius opinionis sunt quidam Doctissimi Patres moderni, qui tenent, non opus esse, vt omnia pia opera præstentur in vna, & eadem hebdomada. ref. Bonac. de Sacram. disp. 6. q. 1. punc. 5. sub n. 34. qui etiam pro probabilitate huius opinionis addit aliquas rationes.

3 Quo tamen non obstante, opinionem contrariam tanquam tutiorem, probabiliorem, & in praxi omninò consulendam, videlicet omnia opera intra vnam hebdomadam expleri debere, puto omninò tenendam, ita etiam Enriquez, Sanchez, & Nugn. quos allegat, & sequitur Bonac. vbi supra.

4 Addo ego, ex contextu Bullæ hanc opinionem clarescere, videlicèt in §. vt autem. ib. qui in hac Vrbe sunt, dicta hebdomada, aut saltem altera sequenti, & infra, qui verò alibi, &c. quocunque sibi benè viso eiusdem hebdomadæ die, vel diebus saltem semel deuotè visitent: omnes prætereà 4. & 6. feria, & sabbatho eiusdem, vel alterius sequentis hebdomadæ ieiunent, & infra, atq; intra hoc ipsum tempus Sacerdotibus confiteantur, & die Dominico, &c. ponderando dictas alternatiuas (aut) & (vel) ex quibus habetur omnia verificari debere in prima, vel secunda hebdomada, si benè aduertatur; ex his enim datur electio ipsi fideli, vt pro sua commoditate eligat hebdomadā, quam maluerit, aut primam, aut secundam, alias S. P. concessisset quindecim dies in communi ad illa onera implenda, & sic vnum solum terminum dierum vnitum, & non cum alternatiuis, & disiunctum omninò, vndè verba illa (atque intra hoc ipsum tempus confiteantur) referuntur ad vnam tantum hebdomadam, siuè primam, siuè secundam; quod etiam suadetur ex seqq. verbis ibi. & die dominico dictum sabbathi diem proximè sequente Eucharistiam sumpserint; quod est opus completiuum, vt tactum est supra, quod si esset post 14. dies, non dixisset S. P. sabbathi diem proxime sequente, sed dd. quatuordecim dies, vel dictas hebdomadas proxime sequente: quod puto clarissimum, & maximè quia secundum Bonaci. grauissimorū DD. auctoritate hæc opinio fulcitur, qui in fine d. n. 34. addit, in materia indulgentiarum non prodesse opinionem probabilem ad consequendam indulgentiā, si veritas sit in oppositum, vt puto in casu nostro, in quo verba Bullæ sunt clarissima; & adiuuāt

 etiam

etiam verba Summarij ibi. e se faranno tutte le cose dette di sopra nella presente, ouero nella settimana immediatamente seguente rispetto à Roma, ma fuori di Roma nella prima, ouero seguente settimana dopò la publicatione, &c. ergo omnia in prima adimplenda sunt, vel saltem omnia paritèr in secunda; qui enim omnia in prima adimplet, iam satisfecit, quia ad veritatem alternatiuæ, siuè disiunctiuæ sufficit, vnam tantum verificari. l. si ita quis stipuletur. ff. de ver. ob. Et licèt interdum alternatiua resoluatur in coniunctiuam, hoc tamen raro venit, cum communitèr regula sit in contrarium, vt c. in alternatiuis de reg. iur. in 6.

5 Pro hac conclusione accedit etiam auctoritas Alf. de officio Confess. temp. iub. par. 2. q. 15. sub n. 180. post plures DD. quos allegat. Quam tamen conclusionem, nempè, omnia explenda in prima, vel in secunda hebdomada limitat duobus modis, prima quando confessio fuit cepta in prima hebdomada, sed nō potuit ex causa rationabili compleri. Secundo quando per ignorantiam, vel obliuionem opera non fuerunt adimpleta: in his duobus casibus tantùm procedit conclusio contraria; quia si culpa iubileum aquirere volentis non fuerunt in prima hebdomada adimpleta omnia, non possunt adimpleri in secunda. hæc ex illo vbi supra n. 181. & 182. & benè, aliàs propria malitia prodesset, vel propria bonitas, seù bona fides obesset con. tex. in c. 1. de post. prælat. & in l. itaq; fullo. ff. de furt. licèt Pater Naldus. ver. indulgentia. n. 14. testetur de quadam responsione RR. PP. Sacræ Pœnitentiariæ, &c. vide ibi.

6 Quod autem dictum est, si culpa propria non fuerunt adimpleta omnia in prima hebdomada, non posse adimpleri in secunda, intellige, nisi ex integro omnia adimpleantur, quia si quis in tēpore iubilei resipiscat, semper poterit iubileum lucrari saltem auctoritate Confessarij commutantis, vel differentis opera, &c. vide, quæ dicuntur infra n. 12.

7 Sed adhuc de hac conclusione dubitari posse videtur, nam clarum est, processiones fieri in prima hebdomada, in qua si quis interuenit processioni, maximè in actu visitationis Ecclesiæ, satisfacit, & sic non est ei necessum iterum visitare, & tamen talis potest capere iubileum etiam in secunda hebdomada; cum tamen in prima iam satisfecerit oneri visitationis. Resp. hoc non esse tutum, cum in Bulla exprimatur contrarium, nempe omnia fieri debere in prima, vel in secunda, vnde qui interfuit processioni, vt supra, satisfecit quidem, si cetera etiam

ra etiam

Digitized by Google

ra etiam adimpleuit in prima hebdomada.

8 Sed adhuc instatur contra, nam dies dominicus sequens sabbathum, clarum est, quod est extra hebdomadam, & tamen cum omnia alia præter communionem sint adimpleta in hebdomada vsque ad sabbathum satisfit, si communicetur in die dominico. Sed ad hoc respondeo, non mirum, quia S. P. expresè id concedit, quo ad Communionem, ita vt in hoc non sit ambigendũ: secus si non concederet: imò (quod plus est) concedit etiam posse communicari alio die post Dominicam, accedente tamen consensu, & arbitrio Confessarij, quod si non esset expressum, fieri non posset, vt tetigi supra par. 3. cap. 6. n. 1. & seqq.

9 Sed quæri potest, vtrum qui est in Ciuitate, in qua regularitèr priùs publicatur, quàm per Diœcesim, si non cepit iubileum in prima, nec in secunda hebdomada, possit adire alia loca Diœcesis, vbi illa hebdomada publicatum est, & ibi opera explere, & iubileo potiri? Dic, quod sic, sicut etiam è contra, qui est in Diœcesi, vbi publicatum adhuc nõ est, si petat Ciuitatem, potest ibi adimplendo iniuncta, iubileum lucrari. ità Bonac. sine aliqua contradictione d. disp. 6. q. 1. punc. 5. n. 35. & hoc locum habet etiam, quod ex culpa propria quis iubileum non aquisierit, nã si resipiscat, poterit aquirere alibi, vbi adhuc viget. tradit Alf. de leo. par. 2. n. 195.

10 Difficultas est, si in loco, vbi publicatum est iubileum, quis ieiunet prima hebdomada, & postea subsequenti hebdomada se transferat extra locum, ibiq; in secunda hebdomada reliqua opera adimpleat, an lucretur iubileum. Bonaci. vbi supra d. n. 35 in fi. videtur tenere affirmatiuam: sed (pace tanti Viri) non puto hanc opinionem tutam per supra firmata n. 3. sed si benè aduertatur, Bonac. censet hanc opinionem probabilem, prout etiam asseruit in casu simili, de quo supra n. 2. cum tamen contrariam dixerit probabiliorem. & vide supra d. n. 3.

11 Verum est tamen, quod ibi sub d. n. 35. clariùs loqui posset, cum ponit hæc verba (in qua publicatur iubileum) quæ possunt intelligi duobus modis, vt scilicèt sit secunda hebdomada respectu Ciuitatis, in qua publicatum est iubileum; vel sit prima hebdomada loci, ad quem talis se trãsfert. Sed tamen quicquid sit de intelligentia talium verborum, ne recedas ab ijs, quæ supra firmata sunt n. 3. 4. & 5. cum semper verum sit, quod iste talis partim adimplet opera in prima partim in secũda hebdomada, quod iam conclusum est, fieri non posse: tutè

Digitized by Google

ſe: tutè tamen aget, ſi ex integro omnia adimpleat in loco, ad quē ſe transfert, ſi ibi ſit publicatum iubileum, vt etiam tetigi ſuprà num. 6.

12 Sed quid dicendum de eo, qui nec in prima, nec in ſecunda hebdomada iubileum cępit ſiue quia non potuit, ſiuè quia non curauit? Reſp. hunc poſſe adhuc iubileum capere, dummodo ſaltem in fine ſecundæ hebdomadæ eligat Confeſſarium, & faciat ſibi differri opera in tempus proximum iuxta tenorem Bullæ in §. vt autem ſupra par. 2. & non diſſentit Bonac. vbi ſupra n. 36. qui tamen loquitur de impedito, quod puto procedere etiam in eo, qui iubileum aquirere non curauit, ſi tamen reſipiſcat in tempore. faciunt tradita per Alf. d. par. 2. q. 16. n. 187.

13 Dubitari etiam poteſt, an priuilegium duarum hebdomadarum ſit tale, vt qui in prima omnia adimpleuit, & iubileum lucratus eſt, poſſit adhuc in ſecūda iterum lucrari, ſi adimpleat adimplenda? Caſus eſt diſputabilis, & ſi attendenda eſt doctrina Nau. quæ in materia indulgentiarum eſt ſolida, & grauis, Reſpondendum erit negatiuè. vide eundem de iubil. not. 31. n. 36 vbi licèt loquatur de indulgentijs, quæ conceduntur certis locis pro certis diebus, videlicèt à primis Veſperis vſque ad occaſum Solis ſequentis diei, &c. idē tamen videtur procedere in caſu noſtro per identitatem rationis, cum faciat ibi differentiam inter indulgentiam perennem, & indulgentiam conceſſam pro certo tempore; vnde videtur ſtare pro exemplo id, quod dicit de indulgentia à primis Veſperis, &c. Hanc ſequitur Bonac. d. diſp. 6. q. 1. punc. 5. ſub n. 39. & eſt opinio S. Thomæ relata per eundem Nau. & Bonac. quam ſecūdum eundem Bonac. ſequitur etiam Cordub. Tolet. Eman. Sà, Reginal. Nugn. Enriq. Graff. Suarez, Sanchez, & alij.

14 Hæc tamen opinio non placet modernis, nam Alf. de leo. de auctor. Confeſſ. temp. iub. par. 2. q. 15. n. 183. ex profeſſo tenet contrarium per duas ſatis ſolidas rationes; prima eſt, quia iubileum eſt gratia, & priuilegium, ergo ampliandum, cum in Bulla non dicatur contrarium: ſecunda eſt, quia ideò S. P. concedit duas hebdomadas, vt qui non eſt benè diſpoſitus in prima, diſponatur in ſecunda, ergo nihil prohibet, vt qui in prima cępit, capiat etiam in ſecunda, cum fieri poſſit, quod ſit in ſecunda magis diſpoſitus.

15 Quid dicendum? Ego libentèr adhererem opinioni primæ tamquam fulcitę auctoritate antiquorum DD. & maximè S. Thomæ.

Nec

Nec obstat prima ratio adducta per Alf. scilicet, quia est gratia, ideò amplianda, cum in Bulla non dicatur contrarium; quia satis innuitur contrarium in Bulla per illa verba (hac vice dumtaxat absoluere possit) vt in §. per omnia supra par. 2. ex quibus innuitur, quod vna tantum vice intendit S.P. concedere priuilegium iubilei, vnde qui vna vice illud lucratus est, iam satisfecit Bullæ, & menti Concedentis, qui dicit (hac vice tantùm) intendere enim videtur de vice illa, qua quis iubileum capere intendit.

Nec secunda, quia non facit contra, sed negatur consequentia; & ego etiam dico, Pœnitentem habere electionem hebdomadarum, sed si elegit primam, non competit ei secunda, cum id concedatur per alternatiuam. faciunt dicta supra n. 2. 3. & 4.

16 Fateor tamen, opinionem P. Alf. (quem Arimini dum Vicarij Generalis officio fungerer sub Illustrissimo Episcopo Pauonio Opt. mem. per quem etiam Archipræsbiterali Ecclesia (quam de præsenti obtineo) nobilis Terr̨ Sancti Archangeli optimis, & Christianis moribus ornatę Deo dante insignitus extiti, cognoui Patrem optimæ doctrinę, & qualitatum) esse probabilem, vnde nunquam fidelibus consulerem contrarium, ne eos retraherem ab huiusmodi deuotione; Non tamen assererem absolutè, talem lucrari iubileum etiam secunda vice, nisi fortè cognouerit, se in prima hebdomada in aliquo defecisse ex ignorantia, vel inaduertentia, vel obliuione, quia crederem illum tunc posse omnia in secunda hebdomada adimplere, & iubileum lucrari. faciũt trad. sup. n. 5.

17 His ergo stantibus non esset fortè, nisi optima cautela pro his, qui in prima hebdomada intendunt capere iubileum, vt videlicèt hac intẽtione se ad operã adimplenda accingerent, vt casu quo in aliquo defecissent, ex nunc eligerent secundam hebdomadam; & tunc in ea omnia paritèr adimplerent, quia tunc nõ esset iterare iubileum; sed sub conditione secunda hebdomada percipere, casu quo in prima valide non percepissent. facit opt. tex. in c. 2. de baptis. & ex his tolleretur omne dubium: & casu quo iubileum non esset bis aquisitum, saltem semel aquisitum existeret; & si non esset duplicata indulgentia, esset tamen duplicatum meritum propter duplicatos labores, qui natura sua respiciunt meritum. ad trad. per Nau. de iub. not. 31. n. 35. & clarum est, quod in illis casibus, in quibus dispositio finitur primo actu, potest repeti, & fieri secundo, si primus esset nullus, & omni-

omninò inutilis. vt l. hæc conditio. ff. de cond. & demon. & per d. tex. idem Nau. not. 32. in ver. deuotè. sub n. 47. in fi.

18 Cautelam præmissam valdè vtilem, & tutam existimo pro assecuranda conscientia etiam quo ad absolutionem à peccatis reseruatis casu quo quis incurreret post communionem, seù vltimũ opus primæ hebdomadæ, quia si tunc pœnitens eligat Confessarium pro secunda hebdomada, talis indubitantèr poterit illum absoluere, quia per cautelã iam dictam reseruauit sibi ius capiendi iubileum in secunda hebdomada: Quod intelligo verum, casu quo in prima hebdomada iubileum non percepisset ex aliquo defectu, vt supra n. 5, tactũ est, puta ex ignorantia, vel obliuione, vel inaduertentia, quia si validè percepit, cautela non potest adaptari ad casum, licèt Alf. vbi supra teneat indistinctè, eum qui lucratus est iubileum in prima hebdomada, si deinde incidat in alia reseruata, posse illud iterum lucrari, & absolui, videlicèt in secunda hebdomada. quod tamen sic indistinctè non puto tutum, vt per iam dicta. & si essem electus in Confessarium in secunda hebdomada, talem, cui cautela non adaptatur, vt supra, non auderem absoluere à reseruatis, cum iam adeptus sit indultum S. P. quod ea tantùm vice concessit, vt d. §. quæ omnia.

CAPVT SECVNDVM.

SVMMARIVM.

Priuilegium dilationis temporis pro implemento operis est gratiosum, non commissarium. n. 1.

An hoc priuilegium procedat statim peracto itinere, an dari possit aliqua mora. n. 2.

Illud dicimur posse, quod commodè possumus. sub d. n. 2.

Impediti post iter expletum, quid facere debeant. n. 3. & 4.

Quid si quis audito iubileo voluntariè moram trahit in aliquo loco, & non perficit iter ad patriam. n. 5.

Quid si quis incipiat explere opera alicubi, & ante finem hebdomadæ occurrat occasio discedendi. n. 6.

Cap. II.

De Priuilegio dilationis temporis, de quo in Bulla §. vt autem. in fi. ibi. Qui autem in nauigatione, vel itinere fuerint, eo peracto hæc ipsa etiam faciant, & exequãtur.

1 Vbi no. quod hæc dilatio est gratiosa, non commissaria, vt est in 3. priuilegio, de quo in cap. seq. Vnde ipso iure huiusmodi iter agentibus tàm per mare, quã per terram competit absque ministerio Confessarij, quod non est in priuilegio sequenti.

2 Quæri autem potest, an statim, & sine aliqua mora peracto itinere

nere tales debeant prima hebdomada, vel secunda immediatè sequente exequi opera iniuncta, vel liberum sit eis id facere post requiem aliquorum dierum.

Resp. aut ex huiusmodi itinere ita defessi reperiuntur, vt commodè iubileum capere non possint; aut omninò validos se esse cognoscunt.

Primo casu crederem saltem de equitate posse differre ad tempus validitatis virium, & hoc casu dici legittimè impeditos, quo tamen casu necesse eis erit eligere Confessarium, & facere, prout dicitur cap. seq. vbi agitur de impeditis, seu priuilegio impeditorum: hoc enim casu dici possunt non posse, cum illud dicamur posse, quod commodè possumus. vt l. nepos proculo ff. de ver. sig.

2. Casu crederem, statim debere adimplere opera in prima, vel secunda hebdomada post reditum; & primam intelligo, si perueniant ante quartam feriam, vel taliter, vt quarta occurrenti feria ieiunare possint, nam illa erit prima hebdomada, vt dictum est supra par. 2. §. mandantes. not. 4. & licèt non adsit aduerbium (statim) tamen de sui natura intelligitur. arg. l. eum, qui calendis. ff. de ver. oblig. Si quidem peracto itinere debent adimplere adimplenda; quæ omnia agenda sunt prima, vel secunda hebdomada post reditum, & notitiam, tunc enim verum est, iter esse peractum: aliàs essent melioris conditionis, quam cæteri, cum tamen eis satis sit, vt non sint deterioris.

Benè verum est, quod vt maturius id faciant, & commodiùs, poterunt eligere secundam hebdomadam pro secunda, & in prima præparationem facere: quæ tamen hebdomada erit secunda ita, & taliter, vt finem imponat iubileo; in hoc enim non videtur diuersa ratio in talibus, quæ in cæteris iubileum aquirere volentibus, ergo nec etiam debet esse diuersa dispositio; vt l. ventre. in fi. ff. de aquir. hæred.

3 Sed quid, si non omninò validos se cognoscant? consulant Confessarium electum, qui iuxtà prædicta eis prouidebit, & no. quæ habentur in c. seq. de impeditis.

4 Quid, si habeant aliquam iustam causam non adimplendi omnia iniuncta, nunquid similitèr poterit à Confessario eisdem prouideri? & dic, quod sic, cum sint in terminis, in quibus repeteriuntur cæteri impediti, de qua materia vide paritèr cap. seq.

5 Dubium fortè erit, si tales audito iubileo, voluntariè in aliquo loco moram traxerint, vt in patria tempore eis magis commodo iubileum lucrari possint.

Et consultò dixi (audito iubileo) quia si id ignorant, talis mora non reddit casum dubium.

Dixi etiam (voluntariè) quia si necessitate compellantur, pariter non erit casus disputabilis contra eos.

Respondendum videtur, quod stante, quod simus in materia fauorabili, & S. P. ponat in Bulla solùm verba illa (& peracto) semper verum est, quod antequam iter peragant ad locum destinatum, semper in potentia priuilegium habent, ita vt eis competat post peractum iter.

Quo tamen non obstante, credo contrarium, quia stante sciētia, si in aliquo loco morentur voluntariè, tunc eis actualitèr competit priuilegium, quia verum est, quod iter est peractum, dum actualitèr non iter faciunt, ergò tunc iubileū quęrant adimpletis adimplendis? non enim S. P. addit alia verba, putà eo peracto ad propriam patriam, quia satis est, quod actu non sint in itinere.

Nec obstat, quod exprimitur in Summario ibi, quando saranno tornati alle case loro, quia in textu Bullæ dicta verba (alle case loro) non habentur, licèt in secundo iubileo secus, vt infrà cap. 6. n. 9. & quatenus per verba illa (eo peracto) id includatur saltem impilicitè, quia tunc verum est iter esse peractum a quando vlterius non est iter agendum, id verificatur, & concedi potest, quando quis necessitate detinetur; sed quando voluntate, vel voluptate id fit, non puto tutum differre, vsque ad reditum in patriam.

Nec obstare debet, quod comodius in patria propria id peragerent, quia concedo id verum esse, sed quare voluntariè morantur? Si ergò animi gratia, vel alio respectu minus rationabili in aliquo loco quis se recipit, & moratur, quare pro sua salute etiam sibi non consulit ibi per iubilei aquisitionem, maxime si ibi tunc vigeret iubileum.

Sed quid, si ibi iam expirasset iubileum, vel nondum publicatum esset? Resp. si non est publicatum, clarum est ibi non esse deputatas Ecclesias, vndè non videtur ibi posse talem morantem lucrari iubileum: si autem iam expirauit, semper verum est ibi extare Ecclesias iam deputatas, vndè sine dubio videtur posse concludi, ibi aquiri posse iubileum, sicut aquireretur in propria patria iux. tex. Bullæ in alleg. §. vt autem.

6 Sed quid, si alicui, dum moram trahit, occurrat occasio discedēdi, puta in dimidio hebdomadæ, vel ità, & talitèr, vt opera cepta complere non possit? Resp. consulat Confessarium electum, qui si viderit illum cogi ad discedendum,

dendum, prouidebit agendo tanquam cum legitimè impedito, vt cap. seq. aliàs occasionem prætermittat, & adimplenda adimpleat. vide tamen, quæ tanguntur cap. seq. n. 8.

CAPVT TERTIVM.

SVMMARIVM.

Qui veniant appellatione impeditorum n. 1.
In quo consistat hoc priuilegium n. 2. & 3
Hoc priuilegium tertium non est gratiosum n. 3.
An commutatio operum, vel dilatio sit facienda in totum, & quo ad omnia opera iniuncta, vel possit etiam in parte fieri n. 4.
Impeditus quid facere debeat, vt iubileum lucretur n. 5.
Quomodo intelligatur tempus proximum n. 6.
Admonitio pro Confessarijs quo ad dilationem in tempus proximum n. 7.
Quid de eo, qui visitatis Ecclesijs compellitur discedere à loco iubilei n. 8.

Caput III.

DE tertio priuilegio commutationis, vel dilationis in tempus proximum respectu impeditorum, de quo in Bulla in §. vt autem. in fi. ibi. qui verò Regulares, &c. vsque ad §. quæ omnia.

1 Quæritur ergò in primis, quinam veniant appellatione impeditorum, vt sciatur, quibus competat hoc priuilegium. Et dico, ex contextu Bullæ clarè haberi, inter impeditos in primis comprehendi Regulares vtriusque sexus, qui in claustris perpetuò degunt. Item qui carcere detinentur. Item qui in captiuitate sunt, seù libertate carent. Item corpore infirmi; & generalitèr quicunque ita impediti reperiuntur, vt omnia, & singula, seù eorum aliqua, quę iniunguntur, exequi non possint, vt in Bulla d. §. vt autem. in fi.

2 Quæritur præterea, in quo consistat hoc tertium priuilegium. Dic, quod in duobus alternatiuè, videlicèt in commutatione in aliud pietatis opus, vel in dilatione operis iniuncti in aliud tempus: & sic habemus, quod qui impeditur ita, & taliter, vt v. g. ieiunare non possit, poterit à Confessario electo petere operis commutationem in aliud opus pietatis, puta peregrinationis, eleemosinæ vltra eam, ad quam tenetur, vel aliud simile.

3 Et quatenus Confessarius viderit, seù iudicauerit melius esse id opus differre in aliud tempus, tunc illud differat, sed tamen in tempus proximum, vt in textu Bullæ expræssè cauetur, vbi supra, & sic vides, hoc tertium priuilegium non esse gratiosum, seù in forma gratiosa, vt secundum, de quo proximè suprà; sed in forma commissaria, ita vt à Confessario

sario facienda sit talis commutatio, vel dilatio iuxtà ipsius Cōfessarij arbitrium, vt ex præcisis verbis Bullæ habetur. ibi. Sacerdotis Confessarij, quem elegerint, arbitrio, &c.

4 Quæritur etiam, an commutatio, seù dilatio, sit necessariò facienda in totum, vel in partem, itavt si quis ieiunare non potest, potest tamen eleemosinam facere, Confessarius possit commutare, vel differre ieiunium tantum, & alia opera adimpleri facere suo tempore. & dic posse, quia verba Bullæ sunt clara in allegato §. ibi. præfata omnia, & singula, vel eorum aliqua, &c.

5 Aduertendum tamen est, quod ad hoc, vt impeditus lucretur jubileum, debet opera omnia siue iniuncta, & dilata; siuè commutata adimplere: in adimplemento enim vltimi operis iubileum lucratur, vt dictum est supra par. 3. cap. 6. n. 5. & hoc infra tempus in Bulla decretum respectu commutationis iuxta tradita supra in hac 4. par. cap. 1. à n. 1. vsque ad 6. inclusiuè: est enim opus subrogatum, vt tetigi in c. seq. n. 7. Respectu verò dilationis, in tempore dilato etiam quod sit extra tempus iubilei, cū in adimplemento vltimi operis statim aquiratur thesaurus indulgentiæ, vt supra tactum est. & vide etiam cap. seq. sub n. 7.

6 Et quia dictum est, Confessarium posse differre aliquod opus adimplendum in tempus proximum, hic quæri potest, quomodo intelligatur hoc, & quid, seù quale in proposito sit tempus proximum.

Et videtur dicendum, proximum tempus quo ad hoc esse tēpus immediatè sequens secundam hebdomadam, cum proximum dicatur id, quod à nullo alio præceditur. vt l. 2. §. hæreditas. ff. de suis, & leg. hæred. l. 1. §. si proximus. ff. vn. cogn. & l. proximus. de ver. sign. In proposito tamen casu crederem, hoc esse intelligendum non strictè, & rigorosè, vt suprà, sed largè, quia fauorabile) & cum quadam ęquitate, habito respectu ad commoditatem infirmi, seù aliàs impediti, quia si infirmitas, vel aliud impedimentum esset tale, vt protrahi verisimilitèr posset ad tres hebdomadas, quarta erit proxima, hoc est primo tempore post cessationem impedimenti, quo casu tale tempus erit proximum, cum nullum aliud tēpus aptum quo id fieri posset, præcesserit, nam illud dicimur posse, quod cōmodè possum⁹, vt sup. tactū est

7 Aduertat tamen Confessarius, vt si dubium sit, quo tempore possit cessare impedimentum, potius commutet in aliud opus, quam differat; aut si differat, id faciat in tempus proximum post impedimenti cessationem etiam

absq;

absque eo, quod tempus præcisum exprimat, maximè quia declaratio temporis proximi est arbitraria ipsi Confessario, vt ex ipsis verbis Bullæ in dicto §. vt autem in fi. satis elicitur. ibi. Sacerdotis Confessarij, quem elegerint, arbitrio, præfata, &c. commutare, vel in aliud proximum tempus differre: nam vox illa (arbitrio) pariformiter respicit verbum (commutare) & verbum (differre) ergo, &c. vt l. fi. C. de sent. & interl. om. iud.

Caueat ergo Confessarius, ne confundat terminos commutationis, & dilationis: commutatio enim fit de vno opere in aliud, dilatio autem fit eiusdem operis in aliud tempus, vnde si vis lucrari iubileum v.g. prima hebdomada, necesse est etiam, vt adimpleas omnia in prima hebdomada, vnde etiam necessario sequitur, vt opera commutata fiant in eadem hebdomada, alias quando communicas, non consequeris indulgentiam ex defectu operis non impleti: si autem opus differtur, consequeris indulgentiam in executione vltimi operis, & sic post hebdomadam, vt ex præmissis optimè clarescit.

8 Sed quid, si quis iam visitauit Ecclesias in loco, vbi iubileum viget, & necessitate aliqua, vel iusta causa compellatur discedere, quid faciet Confessarius? Resp. poterit commutare cętera adimplenda, vel differre, considerata occasione, & Itinere faciendo. benè tamen verum est, quod cum visitatio sit facienda ad Ecclesias deputatas, & ibi orandum, cętera vbiquè adimpleri poterunt, vt dicitur infra cap. 6. n. 33.

CAPVT QVARTVM.

De quarto Priuilegio, videlicèt electionis Confessarij.

Hic videndum est de quinque.

Primo, An talis electio sit facienda ante omnia, antequam eligens se reddat inhabilem ad implementum alicuius operis ex iniunctis in Bulla.

2. An talis electio sit facienda in actu Confessionis Sacramentalis, vel sufficiat, si fiat etiam per aliquot dies ante confessionem.

3. An possit quis variare Confessarium eligendo vnum, & posteà alium; vel sit necesse redire semper ad primum.

4. Quis propriè habeat talem electionem, & quid de Regularibus vtriusque sexus.

5. Qualis esse debeat Confessarius electus, sed de hoc remissiuè ad quintum cap.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

SVMMARIVM.

Electio Confessarij quando facienda sit, nu. 1.

Ad effectum commutandi aliquod opus an facienda sit ante omissionem, seu transgressionem operis, an sufficiat, si fiat posteà. n. 2. vsq; ad 7. inclusiuè, vbi disputatur hinc inde; negatiua sententia n. 2. affirmatiua n. 3. resolutio à 3. & infrà, & vide consilium, n. 7.

Commutatio respicit duo, nempe opus commutandum, & opus commutatũ, sub dd. nu. 2. & 3.

Electio Confessarij an debeat fieri in actu Confessionis Sacramentalis, vel sufficiat, si etiam ante, & per aliquot dies nu. 8.

Confessarium an quis possit variare, n. 9.

Quis possit eligere Confessarium tempore Iubilei, n. 10. vbi præcipuè quid de Regularibus etiam vtriusque sexus, iunc. n. 11.

An Superior Regularis prohibere possit tempore iubilei, ne quis ex suis subditis confiteatur alijs, quam Regularibus suæ Religionis, n. 12.

An prohibere possit alicui Confessario subdito suo, ne audiat alios religiosos alterius ordinis, n. 13.

& quid quo ad laicos, n. 14.

An Regularis posset eligere Confessarium extra suum ordinem, si in Bulla iubilei de Regularibus non esset facta mentio, n. 15.

Caput IV.

1 ET quo ad primum, an electio Confessarij sit facienda ante omnia; & dico sine disputatione, quod non; nam quis potest visitare Ecclesias, orare, ieiunare, & facere eleemosinam etiam ante confessionem, quæ sola de necessitate debet præcedere Communionem iuxta ea, quæ copiosè dicta sunt supra par. 3. cap. 5. per totum.

2 Dubium est, an saltem fieri debeat electio Confessarij ad effectum commutandi aliquod opus videlicet antequam quis se reddat inhabilem ad illud: v. g. quis reputat se non posse ieiunare, puta feria quarta, & sic eam transit sine ieiunio absque eo, quod eligat Confessarium, & faciat sibi commutari talé ieiunium in aliud opus.

Et prima facie videtur respondendum affirmatiuè videlicet teneri eligere Confessarium, antequam transgrediatur ieiunium, cum commutatio talis operis habeat duo; nempe opus commutandum, & opus commutatum, & talia duo videntur cadere sub facultatem Confessarij; nam clarum est, quod ipse debet considerare, an tale opus possit fieri, vel non per pœnitentem ad hoc, vt intret facultas commutandi, quæ commutatio debet 3
fieri ex causa, quæ tamen siue iusta sit, siue iniusta, per pœnitentem, quantum in se est, est extincta, cum ex suo capite ieiunium omiserit, non ex iudicio Confessa-

fessarij: & dixi commutationem debere fieri ex causa, quod clarum est per tex. in Bulla §. vt autem. ibi. propter corporis infirmitatem, vel aliud quodcunque impedimentum superius expressa, seu eorum aliqua facere, seu adimplere nequiuerint, Sacerdotis Confessarij,&c. quem elegerint, arbitrio, præfata omnia, & singula, vel eorum aliqua commutare valeant. Cum ergo quis commutare possit opera aliqua arbitrio Confessarij, ergo non arbitrio proprio,& hoc non ad alium effectum,nisi vt Cōfessarius, non autem Pęnitens in causa propria sit iudex; qui quidem iudex debebit iudicare, an impedimentum sit tale, vt iustè possit in aliud opus commutari, omisso eo, quod propter impedimentum fieri non potest; & hoc est de mente doctissimorum Virorum, vt tangit Rodriq. par. 1. cap. 184. n. 12.

3 His tamen non obstantibus reperio Vgol. de offi. & pote. Epis. cap. 41. §. 4. sub. n. 5. tenere contrarium, nempe sufficere, vt Confessarius commutet in aliud opus etiam postquam pęnitens se reddidit inhabilem ad id opus implendum, quod ex suo capite omisit, & eandem opinionem sequitur Figliuc. de sacram. n. 271. & post eos Alf. de Leo. de offi. & pote. confess. par. 2. q. 16. n. 184. qui dicit, Pontificem concedere dictam commutationem non distinguendo, an ante, vel postea fieri debeat, ergò simpliciter etiam intelligi debet absque vlla distinctione, & ex his patet, etiam electionem Confessarij fieri posse post opus prætermissum;& in hanc partem videtur inclinare Rodriq. vbi supra in fi.

4 Tamen (vt verum fatear) tutius esse videtur,vt fiat electio Cōfessarij ante transgressionem operis, cum commutatio habeat duos terminos, vt tetigi, nempe à quo, & ad quem; & cum ista commutatio reguletur secundū arbitrium Confessarij, clarum est, quod tale arbitrium respicere debet ambos terminos, vt iudicare possit, an subsit iusta causa in pœnitente, puta non ieiunandi, & consequenter, an talis commutatio fieri debeat, & in quid; aliàs arbitrium non esset liberum,ex quo per Pœnitentem necessitatur ad commutandum; Quid dicendum?

5 Resp. Aut non ex culpa, sed inaduertenter,vel ex ignorantia, seù simplicitate, vel ex obliuione, vel bona fide, puta si quis credat se de iure non teneri ad ieiunium, seù ad aliud opus omissum; & tunc teneo absolutè opinionem affirmatiuam, quod sufficiat eligere etiam post opus omissum, ad effectū, vt illud opus in aliud commutetur; dummodo

fiat

Digitized by Google

fiat intra tempus iubilei: fauet opinio Alf. vbi supra n. 185. & quę traddidi supra hac ea. par. 4 cap. 1. sub n. 5. Et re vera, si cō. mutetur aliquid extra hebdomadam iubilei, non poterit quis aquirere iubileum intra hebdomadam, cum non sint adimpleta omnia adimplenda: fieri tamē poterit in vim dilationis, vt dicitur suo loco: aliud enim est commutare opus in aliud, aliud illud differre. de materia vide suprà cap. præced.

6 Si autem ex propria culpa omisit, & malitiosè puta vt necessariò fiat commutatio, vel quid simile, casum puto dubitabilem. Credo tamen etiam in hoc casu, opinionem, quod fieri possit electio, & commutatio, esse probabilem per iam dicta, & per allegatos DD. sed contrariam probabiliorem, & tutiorem.

7 Vndè si omissio malitiosa est in prima hebdomada, consulerem, vt in secunda ex integro Pœnitens aquireret iubileum per adimplementum omnium operū, vel commutationem faciendam à Confessario.

Si autem omissio contigit in secunda hebdomada puto, stante necessitate, Confessarium posse commutare, cum talis verè dici possit impeditus, & destitutus alio remedio, & hoc saltem ex æquitate, cum simus in fauorabilibus animæ, & præcipuè stante resipiscentia in tempore, vt in simili dixi supra hac ea. par. 4. cap. 1. nu. 6. & 12. quæ tamen commutatio semper debet fieri intra tempus iubilei, si quidem subrogatum sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur. vt l. 1. §. hæc actio. ff. si quis test. lib. esse ius. fu. & per illum tex. Bar. in l. liberorum sub n. 12. ff. de ver. sign. & tetigi supra cap. præced. nisi Confessarius iudicet opus differendum ad trad. supra circa impeditos cap. 3. per tot. Qui autem tenent contrarium circa implementum intra tempus iubilei, videntur confundere terminos commutationis, & dilationis, vnde si intendunt de commutatione propriè, & strictè, ego non assentio. Si verò de dilatione, quæ largo modo videtur quædam commutatio saltem ratione temporis, si non ratione operis, hoc est, vt opus differatur in aliud tempus, dummodo tamen proximum iuxta tenorem Bullæ, dico eos benè sentire, cum sit conforme menti Summi Pontificis. De materia hac dixi suprà cap. præced. præcipuè n. 5. 6. & 7.

8 Ad secundum, An talis electio sit facienda in actu Confessionis sacramentalis, vel sufficiat, si fiat ante eam etiam per plures dies; & dico breuitèr, hanc electionē fieri posse tam in actu, quo quis se accingit ad confessionem, quā

extra

extra ipsam confessionem, etiam per plures dies, cum nullum verbum adsit in Bulla, quo quis coarctetur ad talem electionem faciendam in actu confessionis; vltra quod esset absurdum, vt quis non posset eligere Confessarium saltem ad effectum commutandi, puta ieiunium feriæ quartæ, in qua tamen adhuc non esset dispositus ad Sacramentum Pœnitentiæ, vnde non concedendum, argumento ab absurdo vitando, quod in iure est validissimum, vt latè per Euerar. in suis locis legal. in lo. ab absur. Quòd autem commutatio etiam votorum fieri possit extra confessionem sacramentalem firmat post Homob. per se allegatum Alf de Leo. de pote. Confess.&c. par. 2. q. 2. n. 78. imò idem de absolutione à censuris, quod est fortius. q. 11. n. 56. de quo tamen latius infra suo loco videlicet cap. 5. à n. 62. vsque ad 70.

9 Ad tertium, An possit quis variare Confessarium. Et respondeo affirmatiuè, vt post Suarez, & Sanchez tenet, & firmat idem Alf. d. par. 2. q. 9. n. 30. siuè inutiliter, & inualidè alteri sit confessus, siuè vtiliter, & validè: Quod tamen limitat non procedere in eo, cui à Confessario est dilatum tempus iubilei, quia si esset extra tempus iubilei, Pęnitens debet redire ad primum, qui tempus distulit, nam alius Confessarius eo casu esset sine aliqua iurisdictione, vel priuilegio, cum esset extra tempus iubilei. & hoc puto verissimum, & indubitabile.

10 Ad quartum. Quis propriè habeat hanc electionem. & dico generaliter omnes pęnitentes, qui volunt lucrari iubileum, habent hoc priuilegium eligendi Confessarium, dummodo sit ex approbatis ab Ordinario, nam lex generaliter loquitur, ergo est generaliter intelligenda. vt l. fi. in fi. C. de dot. promiss. & l. 1. §. generaliter. ff. de leg. præst.

In spetie autem, quid dicendum de Regularibus? Et dico, quod Regulares cuiuscunque Religionis sint, virtute huius Bullæ possunt liberè, & sine scrupulo eligere Confessarium siuè sit Sacerdos secularis, siue Regularis etiam alterius Religionis per verba clara in tex. Bullæ §. quæ omnia. ibi. nec non eisdem fidelibus etiam cuiuscunque Ordinis, Congregationis, & instituti Regularibus vtriusque sexus facultatem impartimur eligendi sibi Presbiterum Confessarium tam secularem, quam cuiusuis Ordinis, vel Instituti Regularem ex approbatis ab Ordinarijs locorum, &c. & tenet idem in term. præcit. Alf. d. par. 2. q. 18. n. 208. vbi etiam subdit idem dicendum, etiam

Digitized by Google

etiam si Regularibus id esset alia via prohibitum, quia per Bullam iubilei extat derogatum, vt in casu nostro in Bulla S. non obstantibus, per totum. Quod est pro Regularibus valde notandum, & pro hoc allegat Graff. Vgol. Megal. Nau. & Botton. quem dicit subdere, quod licèt Regularis, qui hac occasione à Monasterio exiens licentia petita, & non obtenta à Superiore, possit ab ipso puniri, tamen confessio est valida: dat tamen consilium, vt quisque confiteatur in suo monasterio. Vide latius per te. Quod autem Regularibus competat huiusmodi electio, optimè firmat nouissimè P. Auers. de Sacram. pœnit. q. 16. sect. 9. post vers. nono solet.

11 An autem Regulares, quorum nullus solet præsentari Episcopo ad effectum, vt approbetur ad confessiones, teneantur confiteri Sacerdoti approbato ab Episcopo, vt iubileum consequatur, vide quæ dicuntur infra cap. 5. n. 5.

12 Hic quæri posset, an Superior Regularis prohibere posit tēpore iubilei, ne quis ex suis subditis confiteatur alijs quam Regularibus suæ religionis, & credo, quod non, quia priuilegium eligendi esset frustratorium Regularibus; & iam firmatum est supra, etiam Regularibus tale priuilegium competere. Verum tamen est, quod P. Molfes. vt ref. Alf. vbi supra n. 209. tenet contrarium, & dicit, quod ad hoc allegat Suarez, & Reginal. quos tamen ipse Alf. dicit id non asserere, vnde videtur esse opinionis negatiuæ, & bene.

13 Sed quid, si Superior Regularis prohibet alicui Confessario subdito suo, ne audiat alios Religiosos alterius ordinis, nūquid id facere potest? Dic, quod sic, cum id sit valde diuersum à primo, nam & Episcopus potest prohibere, ne aliqui Confessarij Sacramentum Pœnitentiæ ministrent tempore iubilei, vnde si Episcopus poterit generaliter quò ad omnes Cōfessarios, quare Superior Regularis non poterit quo ad suos subditos? id tāgit idem Alf. sub d. n. 209.

14 Difficultas est, an Superior Regularis possit prohibere id, quo ad laicos; & videtur valdè diuersum, cum si posset, præiudicaret iurisdictioni Episcopali, si talis Confessarius esset approbatus ab Episcopo: ideò quo ad confessiones secularium videtur fortè dicendum, Superiorem Regularem non posse impedire tēpore iubilei confessariū ab Episcopo approbatum. Quod tamen videtur durum, cum melius cognoscat Superior Regularis suos subditos, quam Episcopus, vltra quod ex voto obedientiæ tenetur eidem parere. Cogita.

Ego

Digitized by Google

Ego tamen semper tenerem idē in vtroque casu, cum sit eadem ratio voti obedientiæ, tàm circa confessionem Regularium, quàm Laicorum.

15 Sed quid, si generalitèr S. P. concederet, vnum quemq; posse eligere Confessarium, num Regulares possent eligere extra suum ordinem, si de Regularibus non esset facta mentio? & dic, quod non. ità tenet idem Alf. vbi supra sub n. 210. & benè post DD. ab eo allegatos: quam cōclusionem ampliat ibid. n. 211. vt procedat etiam si indulgentia concedatur per modum iubilei; quo casu tamen Superiores possunt, imò debent concedere suis subditis facultatem confitendi sua peccata extra ordinē ad hoc, vt facilius possint iubileum lucrari; quod nota contra Superiores in hoc nimis austeros.

16 Ad quintum qualis debeat esse Confessarius tàm à secularibus, quàm à Regularibus eligendus. vide infra in cap. seq. vbi de hoc latè, ad primum. n. 1. & seqq.

CAPVT QVINTVM.

De qualitate, & auctoritate Confessarij electi tempore iubilei, & consequenter de Quinto priuilegio Pœnitentium circa absolutionem censurarum, & peccatorum, & commutationem votorum, siquidem facultas Confessarij redundat in commodum Pœnitentium, & sic in commodum triplex. Primum circa absolutionem censurarum. Secūdum circa absolutionem peccatorum, & casuum reseruatorum. Tertium circa commutationem votorum. Ergò videndum erit (vt ordinatè procedatur, maximè in materia multum releuante) de quatuor.

Primo, cuius qualitatis debeat esse Confessarius eligendus etiam respectu Regularium.

2. Cuius auctoritatis sit erga Pœnitentem talis Confessarius sic electus quo ad absolutionem à censuris. infra n. 18.

3. Cuius auctoritatis quo ad absolutionem à peccatis. infra n. 76

4. Cuius paritèr auctoritatis quo ad commutationem votorum. infra n. 92.

SVMMARIVM.

Ad Primum principale.

Cuius qualitatis debeat esse Confessarius eligendus tempore iubilei. n. 1.

Quinam veniant appellatione Ordinariorum. n. 2. 3. & 4.

Vrbania noua Ciuitas erecta ab Vrbano Octauo. sub d. n. 4.

Nullius Diœcesis Prælatus venit appellatione Ordinarij. sub eo. n. 4.

Honoratus de Honoratis primus Episcopus Vrbaniæ. sub eo. n. 4.

Ordinarius loci quomodo intelligatur. n. 5. 16.

Caput V.

1 ET ad primum, cuius qualitatis debeat esse Confessarius à Pœnitente eligendus, Dico, quod debet esse Præsbiter, videlicet Sacerdos siue secularis, siue Regularis, qui tamen ab Ordinario loci, idest ab Episcopo, vel Episcopalem iurisdictionem habente in loco, in quo est talis Sacerdos, sit approbatus ad confessiones, vt ex contextu Bullæ habetur in §. vt autem, ibi Sacerdotibus ab Ordinario approbatis peccata sua confiteantur. & ibi. Sacerdotis Confessarij approbati ab Ordinario, quem elegerint, arbitrio, &c. & in §. quæ omnia. ibi. facultatem impartimur eligendi sibi presbiterum confessarium tam secularem, quam cuiusuis Ordinis Regularem ex approbatis ab Ordinarijs locorum, &c.

2 Dixi (idest Episcopo) vt tanto magis comprehenderem in Vrbe summum Pontificem, qui est Episcopus Episcoporum, & est Catholicæ Ecclesiæ Episcopus, & vniuersalis Pastor, vnde si quis ab eo sit approbatus vbique locorum, vbique etiam poterit exercere officium suum; & in Vrbe Roma sufficit si sit approbatus per Eminentissimum Cardinalem Vicarium, seu eius Vicesgerentem, qui in Vrbe venit appellatione Ordinarij loci, quia in spiritualibus est Vicarius generalis Papæ, & consequenter comprehenderem etiam Vicarios Episcoporum in spiritualibus generales, qui veniunt appellatione Ordinarij. vt c. Romana. in princ. de appella. in 6. junc. glo. in ver. generaliter.

3 Dixi (vel Episcopalem iurisdictionem habente) vt comprehenderem etiam Capitula Cathedra-

Digitized by Google

thedralium, seu eorum Vicarios Capitulares sede Episcopali vacante, quia habent talem iurisdictionem. Sbrozz. de offi. Vica. lib. 1. q. 15. per tot. & q. seq. præcipuè n. 7. & seqq.

4 Dixi pariter (vel Episcopalem iurisdictionem habente) vt comprehenderem etiam quoscunque Prælatos talem iurisdictionem habentes, vt sunt Abbates, vel sub alio titulo Prælati alicuius loci nullius Diœcesis, qui immediatè recognoscunt summum Pontificem, & sanctam Sedem Apostolicam, si actu iurisdictionem Episcopalem exerceant, vt est Abbas Nonantulæ, & similes, & olim erat Abbas Terræ Durantis patriæ meæ, quæ hodie Vrbania nuncupatur in Ciuitatem erecta per æternæ memoriæ Vrbanum Octauum Pontificem maximum, per quem etiam de Honorato non minus re, quam nomine, & cognomine, optimisquè moribus, ac virtutibus ornatissimo Præsule, ac Pastore vigilantissimo prouisum extitit Vrbaniensi Ecclesiæ, nobili Capitulo quatuor dignitatum & nouem Canonicorum, cum Mansionarijs, & pluribus inseruientibus decoratæ, præter spectabilem Collegiatam celebris Terræ Mercatelli, vltra reliquũ Clerum totius Diœcesis, alia Terra Saxcoruarij, Castris, & Villis constantis, & pluribus venerabilibus Archipresbiteris, & Parochis, alijsquè Clericis etiam Regularibus refertæ, prætermissis pro nunc reliquis Vrbaniæ requisitis claris ad Ciuitatem, ciuilitatemquè complectam tam necessariò, quam congruè pertinentibus, quæ per me quia patria mea est, consultò hic reticentur.

Ad materiam præmissorum circa episcopalem iurisdictionem vide nonnulla apud Bonac. de sacram. disp. 5. q. 7. punc. 4. §. 1. n. 9.

5 Dixi (in loco, in quo est talis Sacerdos) quia Confessarius debet esse approbatus ab Ordinario loci, vbi est Sacerdos Confessarius, & sic intellige Bullam in illis verbis (ab Ordinarijs locorum) idest ab Episcopo loci, vbi degit Confessarius, tradit Alf. de leo. de off. Confess. &c. par. 2. q. 18. n. 212. & Bonaci. de Sacram. d. punc. 4. § 1. n. 15. & vide quæ dicuntur infra sub n. 16. licèt non desint, qui diuersum sentiant, nempe appellatione Ordinarij loci venire etiam Superiores Regulares respectu suorum subditorum, quod puto concedendum quo ad confessiones Regularium eligentium Cõfessarium sui Ordinis à suo Superiore approbatum, ita vt si quis Regularis velit lucrari iubileum, possit eligere Confessarium vel approbatum ab Episcopo,

ſcopo, ſiuè ſit ſecularis, ſiuè regularis alterius Ordinis, vel ſaltem à ſuo Superiore eiuſdem Ordinis, & hanc puto veritatem, licèt valde controuerſam; cum hac enim diſtinctione conciliari poſſunt contrariæ inuicem opiniones etiam grauiſſimorum DD. videlicèt, Aut Regularis tempore iubilei eligit Confeſſarium, quem ipſe vult ſui Ordinis, aut alterius ordinis. Si ſui, tunc ſufficit approbatio ſui Superioris. Si alterius, tunc requiritur, vt ab Epiſcopo ſit approbatus, prout etiam ſi vult eligere Confeſſarium ſecularem. & hoc tene menti. aliàs ſi aſſerere velis Regularem ſemper cogi eligere approbatum ab Epiſcopo, erit concedendum abſurdũ, videlicèt, vt Fratres Cappuccini, Camaldulenſes, Cartuſiani; & alij, ſi qui ſunt, qui non vacant confeſſionibus ſecularium, & per conſequens non quærunt approbationem Epiſcopi, non poſſent lucrari iubileum, niſi cõfiterentur approbatis ab Epiſcopo, quod tamen in praxi non ſeruatur, & bene, cum ad id non cogantur: poſſe enim eligere Confeſſarium eſt priuilegium, quod competit cumulatiuè, & ſic largo modo; non priuatiuè, & reſtrictiuè, aliàs eſſet contra naturam priuilegij. ita de mente, vel ſaltem non contra mentem Bonac. de Sacram. d. diſp. 5. q. 7. punc. 4. S. 1. ſub n. 25. & Alf. d. q. 18. n. 212. Et eſt omninò rationi conſonum: locus enim proprius Religioſi eſt Monaſterium, vndè cum intra illud contineri debeat, quantum fieri poteſt, quare cogendus erit exire, vt mendicet Confeſſarium alienum, cum intra Ordinem ſuum habeat aliquem approbatum à ſuo Superiore, qui meritò eo caſu dici poteſt Ordinarius loci, ſi non abſolutè, & ſimplicitèr, ſaltem ſecundum quid, & reſpectiuè? Cum autem pro maiori quiete conſcientiæ ſuæ vult extraneũ eligere, non eſt inconueniens, vt cogatur eligere approbatum ab Ordinario loci, ideſt Epiſcopo, vel alio Prælato, vt ſupra ſiuè Confeſſarius ille ſit ſecularis, ſiuè regularis, vt aliquo modo verificentur verba Bullæ, quod eſt ei priuilegium magnum, ſiquidem id extra iubileum non poſſet, vt clariſſimum eſt.

6 *Quod autem dictum eſt de Confeſſario eiuſdem Ordinis*, intellige etiam ſi ſit alterius monaſterij, ſiuè conuentus, vt in Ciuitatibus magnis ſolet obſeruari, in quibus ſunt plura monaſteria eiuſdem ordinis.

7 Dixi (ſit approbatus ad Confeſſiones) intelligendo ſimplicitèr, & generalitèr, nam approbatus ad certum genus perſonarum, non eſt ſimplicitèr, & generalitèr approbatus: vndè

hac

hac occasione omnium Sacramentorum.

8 Quæri potest, vtrum approbatus ad audiendas confessiones marium possit eligi à femina tẽpore iubilei: sunt duæ opiniones, vna negatiua, altera affirmatiua, & ambę probabiles, sed negatiua probabilior, & tutior, & magis consulenda, quia re vera talis Confessarius non dicitur simpliciter approbatus. Idem dicendum de confessario approbato pro vna familia tantum, vel pro aliqua Societate, vel simili. vide Bonaci. vbi supra n. 22. & idem de Confessario socio criminis, de quo dic, vt infra n. 85.

9 Item quæri potest, an Parochus alterius Parochię possit eligi Confessarius tempore iubilei, & dic, quod sic, licet enim videatur admissus pro animabus suæ Parochiæ tantum, talis tamen dicitur approbatus simpliciter ipso iure, quo parochiale beneficium obtinuit, vnde nullam aliam approbationem particularem requirit ab Episcopo, vt ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. de refor. ità Suarez, quem allegat. & seq. Bonac. vbi supra n. 23

Addo pro ratione conclusionis affirmatiuæ, quod non mirum, quia etiam tales parochi dicuntur quodammodo approbati ab Ordinario, ex quo per examen rigorosum in concursu approbantur ad curam animarum, & sic ad administrationem omnium Sacramentorum.

10 Item quæritur, quid de Clericis, vt est in Diœcesi Mediolanensi, & in hac nostra Ariminensi, in quibus deputantur Cõfessarij Clericorum, nunquid tempore Iubilei Clerici possint eligere quemcunque Confessarium approbatum ab Ordinario? Ex traditis per Bonac. vbi supra n. 22. videtur dicendum, quod sic, ibi enim dicit in fortioribus terminis procedere conclusionem affirmatiuam in his, quam in fęminis, secundum opinionem nonnullorum, qui tenent affirmatiuam etiam in feminis, quas dicunt posse eligere Confessarium approbatum tantum pro maribus; quam tamen opinionem in fi. d. n. 22. ipse non videtur amplecti, si benè aduertatur, sicut nec ego amplector, vt sup. n. 8.

11 Quicquid autem sit sentiendum de hoc, quo ad Clericos credo Bonac. benè sentire quo ad affirmatiuam sententiam; quę maximè locum habere debet in hac Diœcesi Ariminen. in qua parum seruatur rigor, & reformatio Confessariorum in hac parte, imò cum in omnibus litteris approbationum detur generalis facultas, exceptis confessionibus monialium, videtur concedi facultas generalis audiendi omnes personas cuiuscunque generis, & qualitatis, & sic etiam

sic etiam Clericos, si quidem exceptio firmat regulam in contrarium, vt est notissimum, & no. Abb. in c. quoniam. de coniug. leprosi. nu. 2. Nisi fortè obstet Decretum Illustrissimi D. Episcopi Pauonij opt. mem. qui sua celebri Synodo cęteras sex Episcoporum Castellij, & Salicini Prædecessorum correxit, & compillauit, Ecclesiamquè Ariminensem laudabilitèr rexit, & vtilitèr gubernauit, vtilioraquè, & maiora egisset, nisi acerbus obitus eundem de medio tulisset; decretum (inquam) in fine voluminis Synodalium Constitutionum fol. 238. appositum in illis verbis. Cæteris præter iam dictos, & in d. cap. 7. compræhensos audire confessiones Ecclesiasticorum pęnitus interdicimus, non obstantibus approbationibus generalibus ipsis concessis, vel in posterum concedédis. Cogita hæc nouissima verba. Vnde esset fortè necessaria, maximè pro scrupulosis aliqua prouisio, vel declaratio, prout speratur ab Eminentissimo, & Reuerendissimo D. N. moderno Episcopo Federico Sfortia S. R. Ecclesiæ Cardinali meritissimo, sub quo, & eius singulari vigilantia, ac Pastorali regimine Ecclesia Ariminensis tranquille congaudet.

22 Et quia tactum est de Monialibus, quæritur quid de Monialibus, nunquid possint eligere quemcunque Confessarium approbatum ab Ordinario, & credo, quod non, per ea, quæ suprà firmata sunt: habent enim quandam particularem rationem Moniales, quę non viget in alijs personis alterius qualitatis: & hoc intelligo quo ad Confessarios non admissos simplicitèr. Si autem aliquis siuè Secularis, siuè Regularis simplicitèr admissus sit, & sine exceptione quo ad Moniales, crederem posse per Moniales eligi, aliàs verba Bullæ iubilei in §. quæ omnia. ibi. necnon eisdem fidelibus, etiam cuiuscunque Ordinis, Congregationis, & instituti Regularibus vtriusque sexus facultatem impartimur eligendi sibi Confessarium tàm Secularem, quàm Regularem ex approbatis ab Ordinario, nihil operarentur, quod non est asserendum: nec huic opinioni contradicit Bonaci. vbi supra sub d. n. 22. si bene aduertatur, cum ea, quæ ibi subdit, respiciant propriè casum, de quo in principio numeri, nempè fęminarum respectu Confessarij admissi pro solis masculis, in quo casu, nec ego dissentio: fateor tamen requiri in hoc etiam placitum Episcopi, qui si nollet dare licentiam tali Confessario, ipse non posset accedere ad Moniales: Vnde vera praxis in hoc erit, vt Moniales tempore iubilei humiliter

militer petant talem Confessarium, vel potius nominent plures, vt Episcopus vnum ex illis concedendo prouideat pro solatio animarum earundem, prout omnino debet: nec laudandi sunt Episcopi illi, seu eorum Vicarij, qui alio tempore non solum non offerunt bis, vel ter in anno Confessarium extraordinarium, vt tenentur ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 10. de Regu. & Monia. sed (quod peius, & durius est) expectant vt petatur nec tamen concedere volunt, nisi alium omnino diuersum à petito: Concilium enim Trid. à Spiritu Sancto rectum in hoc rectissimè disposuit, licèt hodie in multis locis malè sequetur, fortè quia non bene intelligitur spiritualis indigentia Monialium; fauent etiam quo ad electionem Confessarij quæ tangit P. Auers. q. 16. sect. 9. post vers. nono solet. de sacram. pęnit.

13 Et cum dictum sit de Parocho, quid de eo, qui parochiale beneficium resignauit, & nullam aliam facultatem habet de præsenti? Respondeo negatiuè, quod non sit eligibilis, & in hoc non puto dubitandum ad trad. per eundem Bonac. vbi sup. n. 24. & idem puto de eo, qui suspensus est, vt ibi tangitur.

14 Item quęri potest, vtrum censeatur approbatus ita, & taliter, vt eligibilis sit tempore iubilei ille Confessarius, qui fuit approbatus, & admissus ab Episcopo sciente illum non esse idoneum. Bonaci. d. punc. 4. §. 1. n. 29. respondet negatiuè, & benè, ponderando verba Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. de ref. ibi. aut alias idoneus iudicetur, & approbationem obtineat: nam textus ille duo requirit, iudicium idoneitatis, & approbationem; talis autem est quidem approbatus, sed non iudicatus idoneus. Secus tamen esset, si iudicatus esset idoneus, & approbatus, licèt re vera idoneus non esset, alias aperiretur via scrupulis; sufficit enim, vt Episcopus credat idoneum, & iudicet, licèt non sit talis. vide Bonaci. vbi supra & n. 30. & 31. post Suarez, & alios ibi relatos.

15 Approbatio tamen sufficit etiam si detur oretenus, & sine scriptis. ad eundem. Bonaci. vbi supra n. 32.

16 Et quia supra n. 11. dixi (approbatus ab Episcopo loci, in quo est talis Sacerdos) quæri potest, an Pęnitens, qui virtute iubilei potest eligere Confessarium approbatum, possit eligere aliquem approbatum ab Ordinario alterius Diœcesis.

Hęc quęstio est valde controuersa, vt videri potest penes Bonac. disp. 5. q. 7. punc. 4. §. 1. n. 21. de sacram. Sed breuiter respondendo dico. Aut pęnitens

Digitized by Google

nitens (puta) Ariminensis Diœcesis eligit Confessarium approbatum ab Ordinario (puta) Cęsenæ existentem in Diœc. Arim. Aut vadit ipse pęnitens in Diœcesim Cesenæ, & eligit ibi Confessarium ab Ordinario Cesenæ approbatum. Primo casu clarum est non posse, quia talis Cõfessarius non dicitur approbatus ab Ordinario loci, vt iam firmaui supra n. 5. qualitas enim approbationis ab Ordinario loci adiecta verbo electionis debet intelligi secundum tempus verbi, idest quando eligitur. vulg. iur. Sed sic est, quod quãdo Pęnitens eligit in Diœcesi Ariminensi Confessarium approbatum ab Ordinario Cesenatense, non verificatur qualitas, quod sit approbatus ab Ordinario loci, vbi administrandum est sacramentum pęnitentiæ, quod cum administretur ad modum judicij, requirit iurisdictionem in administrante, quam approbatus in Diœcesi Cesenę non habet in Diœcesi Ariminensi.

Secundo autẽ casu potest: nõ enim repugnat verbis Bullę, aliàs illi, qui sũt in confinibus Diœcesis, nõ possent confiteri Confessarijs alterius Diœcesis ibidem existentibus, quod tamen fit, & seruatur etiam extra tempus iubilei, de licentia tamen proprij Parochi, Pęnitens enim eo casu se subijcit Confessario in loco, vbi iurisdictionem habet. Pro hac distinctione habemus Decisionem Sacræ Congregationis Conc. quam ponit Quaran. in ver. Confessor. tenoris infrascripti, videlicèt Cõgregatio Conc. respondet (videlicèt Archiepiscopo Valentino, qui eam consuluit) approbatum ab alio, quã Valentino Archiepiscopo, in Diœcesi Valentiniana non censeri approbatum ab Ordinario. vbi no. verba illa (in Diœc. Valentiniana) ex quibus liquet, quod approbatio respicit locum, vbi extat approbatus, itá vt approbatus ab Ordinario loci intelligatur ille tantum, qui est approbatus ab Ordinario illius loci, vbi degit Confessarius & vbi Sacramentum Pęnitentiæ actu administratur. & ex his satis conciliari possunt opiniones ad inuicem contrariæ, quod est etiam de mente Bonac. vbi supra, si benè consideretur.

17 Nec obstat, si dicatur, Pęnitentem eligere debere Confessarium in Diœcesi, in qua ipse pęnitens est, quia id nullo iure cauetur, maximè quia sumus in materia fauorabili, & priuilegiata pro pęnitente, ergo non restringenda, sed latè interpretanda, iux. tex. in l. beneficium. ff. de constit. Princ. cum simil.

Ad Secundum principale eiusdem Cap. V.

Sum-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

Cuius auctoritatis sit talis Confessarius respectu absolutionis à censuris erga Penitentes n. 18. vbi regula de hoc. qui autem excipiantur. n. 19. & 20.
Absolutio tempore iubilei habet locum in foro conscientiæ, & penitentiali tantum n. 21.
Quid importet clausula (in foro conscientiæ) n. 22.
An absolutus in foro conscientiæ indigeat alia absolutione sub n. 22. remissiuè.
An possit absolui à censura, qui tenetur satisfacere parti, & non potest. n. 23. & seqq. & vide præcipuè n. 30. & 31.
Cautio sufficiens quomodo intelligatur sub n. 24.
Quomodo intelligatur impotens ad satisfaciendum, sub d. n. 24.
Quid de eo, qui licet actualiter non satisfecerit parti, dedit tamen pecuniam Confessario? n. 25.
Quid de eo, per quem non stat, quin satisfaciat? n. 26.
Quid de eo, qui dubitat se teneri. n. 27.
Quid autem de eo, cui differtur implementum operum in tempus proximum, an differatur etiam satisfactio, sub eo. n. 27.
An eadem sit ratio in Confessario ordinariam iurisdictionem habente, ac in eo. qui delegatam quo ad absolutionem penitentis ante actualem satisfactionem. n. 28. & seqq. & præcipuè 30. & 31.
Facultas delegata alia est absoluta, alia limitata n. 29. vide exempla n. 30.
Differentia constituitur inter Pœnitentem habentem casum restitutionis deductum ad forum contentiosum, & casum secretum. sub d. nu. 31. vers. quod intelligo.
Et quid, si per pignus, vel satisdationem quis incurreret periculum infamiæ. ibidem vers. sed quid.
Confessarius negligens in materia restitutionis, & satisfactionis, an teneatur de suo, sub d. n. 31. vers. vnde.
Excommunicatio an tollatur ipso iure data satisfactione, vel egeat ministerio absolutionis, n. 32.
Quot sint, & quæ censuræ Ecclesiasticæ n. 33.
Vtile per inutile non vitiatur, sub d. n. 33
Censura an sit pena, n. 34.
Non omnis suspensio, vel prohibitio ingressus Ecclesiæ est censura, n. 34.
In Bullis, seu alijs concessionibus interdum ponuntur verba, quæ videntur superflua, sub d. n. 33. & n. 36.
Clausula generalis censurarum, & sententiarum non extenditur ad dispensationem super irregularitate aliqua, nota, defectu, incapacitate, aut inhabilitate, n. 37. nec ad cessationem à Diuinis, nec ad depositionem, nec ad degradationem, n. 38.
Quæ sint censuræ latæ à iure, & quæ ab homine, n. 39. & vide exempla, n. 40. & 41.
Quinam veniant appellatione legislatorum Ecclasiasticorum, sub d. n. 40.
Constitutio legislatoris, seu facta per modum statuti quandiu duret, sub. n. 41 & quandiu quæ dicitur ab homine non per modum statuti, ibid.
Excommunicationes pro rebus deperditis, vel subtractis dicuntur latæ ab homine, n. 42.
Quænam censuræ dicantur latæ sententiæ, & quæ ferendæ, n. 43. remissiuè.
An absolutus ab omnibus censuris tempore iubilei censeatur etiam absolutus ab illis, quas penitens non fuit confessus, n. 44.

Digitized by Google

postea non adimplet adimplenda, reincidat in censuras, vel reseruationem, n. 71.
An autem talis grauiter peccet, n. 72.
Sed quid de eo, qui in confessione reticet censuram? n. 73.
An excommunicatus propter percussionẽ clerici, si satisfaciat clerico tanquam parti læsæ teneatur ad aliud, n. 74.
Et quid si Clericus ipse sit excommunicatus propter sui ipsius percussionem suadente diabolo, vel propter consensum in eam, n. 75.

18 AD Secundum principale, videlicèt cuius auctoritatis sit erga Pœnitentem talis Confessarius sic electus quoad absolutionem à censuris. Dic, quod talis Confessarius potest absoluere ab omnibus censuris etiam Episcopo, imò & Summo P. reseruatis, etiam contentis in Bulla Cœnæ Domini per tex. clarum in hac Bulla §. quæ omnia. ibi. ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, & censuris à iure, vel ab homine quouis modo, vel causa latis, seù inflictis, &c.

19 Ab hac tamen generali regula excipiuntur hæretici, & schismatici specialitèr declarati, seù condemnati, vt in ea. Bulla. §. per præsentes. ibi. neque paritèr hæretici, &c. quia tales non possunt absolui: Ex quo elicitur, quod hæretici, seù schismatici occulti, licèt sint excommunicati, poterunt tamen absolui, si verè, aut sufficientèr conterantur; Imo etiam si non sint occulti, dummodo non specialitèr declarati, vel condemnati, cum exceptio firmet regulam. vulg. iur. & hinc colligitur amplitudo huius iubilei.

20 Item excipiuntur ij, qui ab aliquo Iudice excommunicati, suspensi, vel interdicti, seù aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi tamen intra tempus iubilei satisfecerint, aut cũ partibus concordauerint. Quod no. tu, qui Confessarius es, vt si vis tales Censuratos absoluere, prius iniungas satisfactionem, vel concordiam cum partibus, antequam transeat tempus celebrationis iubilei, & tunc si id executi sint, absoluas, & non alitèr. ad tex. in ea. Bulla. d. §. per præsentes. ibi. ijs, qui ab aliquo iudice, &c. vide tamen infra n. 23.

21 Hæc autem absolutio habet locum in foro conscientiæ, & pœnitentiali tantum; non autem in foro fori, seù contentioso, vt d. §. per præsentes. ibi. Ac declaramus. nam hæc facultas in iubileo, conceditur ad specialem salutem animarum, & vt quis possit impetrare à Deo, quod intenditur per Bullam iubilei, vt post Graff. & P. Duard. dicit

Alf.

Digitized by Google

Alf. de leo. in tract. de potest. Confess. &c. par. 2. q. 11. n. 59. vbi nu. 60. subdit, posse etiam prodesse in foro externo in casu, de quo ibi.

22 Hæc autem clausula (in foro conscientiæ) importat, vt sit saluum semper ius cognoscendi de illo delicto in foro exteriori, & de eo pœnam, & satisfactionem imponendi. itá Bonac. de cens. disp. 1. q. 3. punc. 10. n. 1. & vide quæ traduntur infra n. 64. 65 & seqq. vsq. ad 69.

An autem absolutus in foro conscientiæ indigeat alia absolutione, vide per te eundem Bonac. ibi. n. 3.

23 Et quia dixi (tunc, si id executi sint, absoluas, & non alitèr) quæri posset, quid agendum, si Pœnitens censura irretitus satisfacere non potest. Respondeo si est impotens, excusatur, ita vt absolui possit etiam non adhibita satisfactione parti læsæ, quia omnia iura, quæ iubent satisfacere ante absolutionem, intelligenda sunt, si excommunicatus, siuè alias cẽsuratus potest. Nau. in man. cap. 27. n. 42. Et licèt ibi videatur loqui in articulo mortis, idem tamen est etiam extra illum articulum, nam posita impotentia eadem ratio est in articulo mortis, quæ in alio quocunque articulo, vt ex doctr. Sãchez relat. per Bonac. loco mox citando.

24 Quod tamen intellige procedere, dummodo creditor, seù pars læsa non sentiat æquale damnum; & etiam dummodo Pœnitens det cautionem sufficientem, idest cum pignore, vel fideiussore, vel (si non potest) det saltem iuratoriam; cum his concurrentibus non sit verisimile, nec credibile, Superiorem velle obligare Pęnitentem ad impossibile, verba enim Bullæ sunt benigne explicanda. Et intelligo impotentem ad satisfaciendum, tàm eum qui moralitèr non potest, quàm qui satisfacere non valet sine graui damno famæ, status, vel bonorum ad trad: per Nau. vbi supra, & n. seq. & Bonac. d. q. 3. punc. 9. n. 4. & 5. & vide quę infra dicuntur n. 28. 29 30. & 31.

25 Sed quid de eo excommunicato, qui dedit pecuniam Confessario, vel alteri viro probo, vt commodius restituat parti lęsæ, nũquid potest statim absolui, & ante actualem solutionem parti? Dic, quod sic, nam hoc modo videtur satisfecisse. Bonac. d. punc. 9. n. 7. vbi idem de eo, qui deponit pecuniam in loco tuto, vt parti læsæ restituatur. idem pariter de eo, qui per fidelem Campsorem transmittit pecuniam ad creditorem, etiam si pecunia actualitèr adhuc non peruenerit ad illum. ibi. in fi.

26 Sed quid de eo, per quem nõ stat,

Digitized by Google

ſtat, quin ſatisfaciat, ſed per partem, quæ non vult acceptare ſatisfactionem. Dic idem, quod ſupra, vt poſt Enriq. & Caiet. concludit idem Bonac. vbi ſupra n. 8.

27 Sed quid de eo, qui dubitat ſe teneri ſatisfacere, an poſſit abſolui, ſtante ſcilicèt, quod neceſſariò ſit præmittenda ſatisfactio, vt in Bulla noſtra. Dic, quod in foro fori dum certò non conſtat de debito, poteſt abſolui: Sed in foro conſcientiæ, vt eſt caſus noſter, Confeſſarius debet benè examinare pęnitentem, & ſi ex eius dictis in conſcientia elicitur probabilis dubitatio, poterit abſolui; ſi verò aliter, ſecus: ſtandum enim erit aſſertioni pęnitẽtis, ità idem Bonac. vbi ſup. n. 9. Nec mirum, in dubio poſſe abſolui, quia in dubio ſemper potior eſt conditio poſſidentis, vt ipſemet aſſerit, & eſt notiſſimum in iure. Puto tamen tutum eſſe Confeſſario, vt in tali dubio faciat ſibi promitti, quod ſi debitum claruerit, ſatisfaciet.

Quid autem ſi ex aliquo impedimento differatur, ſeu prorogetur in tempus proximum opus implendum; nunquid etiam ſatisfactio prorogari, vel differri poſſit ita, vt talis Pęnitens cẽſura ligatus, & ad ſatisfaciendum obligatus dicatur ſatisfeciſſe infra tempus iubilei iuxta ea, quæ habentur in tex. Bullæ §. per pręſentes. vt ſupra par. 2. eo. §. not. 3. Caſus licèt videatur diſputabilis, tamen ſtante quod Confeſſarius cęperit habere iuriſdictionem ſuper pęnitentem, & differre poſſit explẽda in tempus proximum iuxta terminos huius iubilei, non dubitarem, partem affirmatiuam aſſerere, ſi quidem ſi talis pęnitens ſatisfacit ante abſolutionẽ, vtique dicitur ſatisfacere intra tempus iubilei, quod ſibi adhuc competit vſque ad communionem incluſiuè. Secus tamen putarem ſentiendum in terminis ſecundi iubilei, in quo commutatio, ſeu dilatio, vel prorogatio confeſſionis, & communionis non conceditur, vt par. 4. cap. 6. in tex. Breuis, & n. 16.

28 Sed nunquid idem iuris eſt in Confeſſario iuriſdictionem ordinariam habente, ac in delegato circa abſolutionem à cenſuris reſeruatis præuia ſatisfactione partis, ita vt ſicut ab impotente exigit Ordinarius cautionem, & abſoluit, poſſit idem facere etiam delegatus? Sotus in 4. lib. ſent. diſt. 22. q. 2. art. 3. concl. 2. allegatus per Nau. cap. 27. ſub n. 48. quem ipſe ſequi videtur etiam per ea, quæ tradit eo. cap. n. 37. tenet non ſufficere inopiam ad hoc, vt delegatus præuia ſatisfactione abſoluat; & ſic facit diſtinctionem inter Ordinarium, & Delegatum.

Sed

Alf. de leo. in tract. de potest. Confess. &c. par. 2. q. 11. n. 59. vbi nu. 60. subdit, posse etiam prodesse in foro externo in casu, de quo ibi.

22 Hæc autem clausula (in foro conscientiæ) importat, vt sit saluum semper ius cognoscendi de illo delicto in foro exteriori, & de eo pœnam, & satisfactionem imponendi. ità Bonac. de cens. disp. 1. q. 3. punc. 10. n. 1. & vide quæ traduntur infra n. 64. 65 & seqq. vsq. ad 69.

An autem absolutus in foro conscientiæ indigeat alia absolutione, vide per te eundem Bonac. ibi. n. 3.

23 Et quia dixi (tunc, si id executi sint, absoluas, & non alitèr) quæri posset, quid agendum, si Pœnitens censura irretitus satisfacere non potest. Respondeo si est impotens, excusatur, ita vt absolui possit etiam non adhibita satisfactione parti læsæ, quia omnia iura, quæ iubent satisfacere ante absolutionem, intelligenda sunt, si excommunicatus, siuè alias cēsuratus potest. Nau. in man. cap. 27. n. 42. Et licèt ibi videatur loqui in articulo mortis, idem tamen est etiam extra illum articulum, nam posita impotentia eadem ratio est in articulo mortis, quæ in alio quocunque articulo, vt ex doctr. Sāchez relat. per Bonac. loco mox citando.

24 Quod tamen intellige procedere, dummodo creditor, seù pars læsa non sentiat æquale damnum; & etiam dummodo Pœnitens det cautionem sufficientem, idest cum pignore, vel fideiussore, vel (si non potest) det saltem iuratoriam; cum his concurrentibus non sit verisimile, nec credibile, Superiorem velle obligare Pęnitentem ad impossibile, verba enim Bullæ sunt benigne explicanda. Et intelligo impotentem ad satisfaciendum, tàm eum qui moralitèr non potest, quàm qui satisfacere non valet sine graui damno famæ, status, vel bonorum ad trad: per Nau. vbi supra, & n. seq. & Bonac. d. q. 3. punc. 9. n. 4. & 5. & vide quę infra dicuntur n. 28. 29 30. & 31.

25 Sed quid de eo excommunicato, qui dedit pecuniam Confessario, vel alteri viro probo, vt commodius restituat parti lęsæ, nūquid potest statim absolui, & ante actualem solutionem parti? Dic, quod sic, nam hoc modo videtur satisfecisse. Bonac. d. punc. 9. n. 7. vbi idem de eo, qui deponit pecuniam in loco tuto, vt parti læsæ restituatur. idem pariter de eo, qui per fidelem Campsorem transmittit pecuniam ad creditorem, etiam si pecunia actualitèr adhuc non peruenerit ad illum. ibi. in fi.

26 Sed quid de eo, per quem nō stat,

ftat,quin ſatisfaciat,ſed per partem, quæ non vult acceptare ſatisfactionem. Dic idem, quod ſupra, vt poſt Enriq. & Caiet. concludit idem Bonac. vbi ſupra n. 8.

27 **Sed quid de eo, qui dubitat ſe teneri ſatisfacere, an poſſit abſolui, ſtante ſcilicèt, quod neceſſariò ſit præmittenda ſatisfactio,** vt in Bulla noſtra. Dic, quod in foro fori dum certò non conſtat de debito, poteſt abſolui: Sed in foro conſcientiæ, vt eſt caſus noſter, Confeſſarius debet benè examinare pęnitentem, & ſi ex eius dictis in conſcientia elicitur probabilis dubitatio, poterit ab ſolui; ſi verò aliter, ſecus: ſtandum enim erit aſſertioni pęnitẽtis, ità idem Bonac. vbi ſup. n. 9. Nec mirum, in dubio poſſe abſolui, quia in dubio ſemper potior eſt conditio poſſidentis, vt ipſemet aſſerit, & eſt notiſſimum in iure. Puto tamen tutum eſſe **Confeſſario, vt in tali dubio faciat ſibi promitti, quod ſi debitum** clarueri, ſatisfaciet.

Quid autem ſi ex aliquo impedimento differatur, ſeu prorogetur in tempus proximum opus implendum, nunquid etiam ſatisfactio prorogari, vel differri poſſit ita, vt talis Pęnitens cẽſura ligatus, & ad ſatisfaciendum obligatus dicatur ſatisfeciſſe infra tempus iubilei iuxta ea, quæ habentur in tex. Bullæ §. per prę̃ſentes. vt ſupra par. 2. eo. §. not. 3. Caſus licèt videatur diſputabilis, tamen ſtante quod Confeſſarius cęperit habere iuriſdictionem ſuper pęnitentem, & differre poſſit explẽda in tempus proximum iuxta terminos huius iubilei, non dubitarem, partem affirmatiuam aſſerere, ſi quidem ſi talis pęnitens ſatisfacit ante abſolutionẽ, vtique dicitur ſatisfacere intra tempus iubilei, quod ſibi adhuc competit vſque ad communionem incluſiuè. Secus tamen putarem ſentiendum in terminis ſecundi iubilei, in quo commutatio, ſeu dilatio, vel prorogatio confeſſionis, & communionis non conceditur, vt par. 4. cap. 6. in tex. Breuis, & n. 16.

28 Sed nunquid idem iuris eſt in Confeſſario iuriſdictionem ordinariam habente, ac in delegato circa abſolutionem à cenſuris **reſeruatis præuia ſatisfactione** partis, ita vt ſicut ab impotente exigit Ordinarius cautionem, & abſoluit, poſſit idem facere etiam delegatus? Sotus in 4. lib. ſent. diſt. 22. q. 2. art. 3. concl. 2. allegatus per Nau. cap. 27. ſub n. 48. quem ipſe ſequi videtur etiam per ea, quæ tradit eo. cap. n. 37. tenet non ſufficere inopiam ad hoc, vt delegatus præuia ſatisfactione abſoluat; & ſic facit diſtinctionem inter Ordinarium, & Delegatum.

Sed

Sed Bart. Med. tenet contrarium lib. 2. inst. Confess. cap. 12. qui dicit contrariam opinionem piam, probabilem, & se putare tutò practicari posse, quia Bulla intelligi debet, vt satisfiat parti, quando id fieri possit. ita ref. & sequi videtur Greg. Sair de censur. eccle. lib. 2. cap. 18. n. fi.

29 Quid dicendum? Resp. quod si delegatus habet facultatem absolutam, & non limitatam, puta (præuia satisfactione) est idem cum Ordinario. Si uerò habet limitatam; aut ita limitatè conceditur, vt satisfactio requiratur tanquam conditio necessaria, & sic limitatur potestas: aut ità limitatè conceditur, vt non limitetur potestas, nec requiratur satisfactio tanquam conditio necessaria, sed tantummodo iniungatur præceptum, aut admonitio, ne Confessarius absoluat sine præmissa satisfactione.

Si primo modo inualida est absolutio data à delegato non præuia satisfactione.

Si secundo modo, valida est absolutio data ante satisfactionem, quamuis Confessarius grauiter peccet non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, prout facit etiam Ordinarius, quia tenetur ex offitio bonum parti procurare. ita ex Bonac. de censu. d. disp. 1. q. 3. punc. 9. n. 1. & 2.

30 Quando autem dicatur primo modo limitata potestas, & quando secundo, Bonac. vbi supra n. 3. ponit exempla, puta quando priuilegium vtitur talibus verbis: non valeat, non possit absoluere, vel non possit dari absolutio, vel aliter non possit absolui, vel nullius sit roboris, vel momenti, hæc sunt exempla primi modi, cui aptantur verba Bullæ nostræ, si benè considerentur in fi. d. §. per præsentes.

Vel si dicatur, satisfacta parte; vel nullatenus detur absolutio, hæc sunt exempla secundi modi, in quo sunt duæ opiniones contrariæ, sed Bonaci. tenet opinionem affirmatiuam, scilicèt, vt delegatus possit absoluere, etiam non satisfacta parte, dummodo non adsit clausula expressè irritans; vide latè ibi sub d. n. 3. & cum hac distinctione, puto conciliari posse D.D. inter se cõtrarios.

31 Vnum tamen aduertas pro conclusione in hac materia controuersa valde, quod quando dicitur, non posse delegatum absoluere virtute limitatæ facultatis, nisi prǽuia satisfactione, hoc est intelligendum, si pœnitens potest, quia si non potest, sempèr satisfit menti Concedentis, si absoluatur præuia cautione sufficienti, vel saltem iuratoria, quia ad impossibile nemo tenetur, vt supra firmatum est per

trad.

Digitized by Google

trad. per DD. allegatos, & pręcipuè Bonaci. d. punc. 9. n. 4.& seqq. & non dissentit P. Auers. de Sacram. pęnit. q. 17. sect. 7. in fi. Tunc enim verum est, delegatum nullitèr absoluere, si ab soluat non solum non satisfacta parte, sed nec data cautione, vt supra, cum sit secus in ordinario, vt firmatum est. & no.etiam verba illa Bonac. d. punc. 9. sub n. 1. ibi. grauiter peccare absoluẽdo Pęnitentem ante realem satisfactionem,quam præstare poterat: in hoc enim est tota vis quæstionis quando satisfacere potest; nam quando non potest, sufficit cautio, de qua supra, & hoc locum habet tam in ordinario, quam in delegato, vnde Confessarius virtute iubilei, si ab eo qui satisfacere non potest, exigat cautionem, & ea pręstita, absoluat, rectè facit.

Quod intelligo in casibus occultis, quia si res esset deducta ad forum contentiosum, & inopia debitoris non esset notoria, Confessarius non posset absoluere, nisi præuia satisfactione, secus verò, si res sit occulta, & adsit vera satisfaciendi impotentia, tunc enim præstita cautione sibi possibili, vel saltem iuratoria, absolui posset. ita Lazar. de monit. sect. 4. q. 12. n. 8. qui loquitur in terminis iubilei.

Sed quid si casus sit ita occultus, vt si quis det cautionem cũ pignore, vel fideiussore, possit incurrere periculum infamiæ, vel proprij dedecoris, etiã quod aliàs pręstare possit tales cautiones? Crederem hoc casu talem satisfacere, si det saltem iuratoriam coram Confessario, quia clarum est hunc alias cautiones præstare non posse,cum commodè non possit. ad trad. per Nau. in man. cap. 17. n. 56. & 57. vbi habetur, quod quis non tenetur restituere bona inferioris ordinis cum detrimento bonorum altioris ordinis, ergo tanto minus tenetur ad cautionem sufficientem,si immineat periculum. argumento à maiori ad minus negatiue, quod est in iure validissimum. vt c. cum in cunctis. de elect. iunc. glo.

Vnde in materia restitutionis, vel satisfactionis caue tu Sacerdos, qui absoluis, quia si negligentèr in hoc gesseris munus tuum, tu ipse teneberis ad restitutionem,& satisfactionem, vt post Med. concludit idem Lazar. d. sect. 4. q. 4. n. 13. in quo tamen vide, quę nouissimè post alios distinguendo doctè concludit P. Auers. de sacram. pęnit. q. 16. sect. 13.

32 Hic quæri posset, vtrum satisfactione, vel restitutione facta statim auferatur excommunicatio absque alia absolutione, quando scilicèt aliquis fuit excommunicatus ob aliquod delictum

ctum etiam sub hac forma. sis excommunicatus donec satisfeceris. Resp. negatiuè, scilicèt non statim auferri, nam sensus excommunicationis hoc modo latæ est, vt excommunicatus non possit absolui ante satisfactionẽ, possit verò absolui ea posita. ità post Suarez, & alios allegatos resoluit Bonac. d. disp. 1. q. 3. p. 9. n. 10. vbi reddit etiam rationem, quam vide per te. Quod est valde notandum contra eos, qui satisfacta parte credunt se non esse amplius excommunicatos, nam ea non tollitur ante actualem absolutionem, vt est notissimum.

33 Et quia in Bulla in §. quæ omnia habentur hęc verba (ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, & censuris à iure, vel ab homine, &c.) quæri posset, an aliæ censurę ecclesiasticę reperiantur vltra tres, scilicèt excommunicationem, suspensionem, & interdictum. Et clarum est, propriè, & strictè loquendo, tres tantum reperiri censuras, nempe excommunicationem, suspensionem, & interdictum. c. quærenti. de ver. sign. Nau. in man. cap. 17. sub n. 1. vbi definitur censura ecclesiastica, & pluribus seqq. & latè Bonaci, de censu. disp. 1. q. 1. p. 1. in princ. & n. 4. & communitèr DD. vt ibi.

Ex his ergo quæri potest, quid Summus Pontifex in hac Bulla comprændere intendat per illa verba (alijsque Ecclesiasticis sententijs, & censuris. Resp. quod stante veritate superioris conclusionis, nempe censuras esse tantum tres, sequitur omninò, verba prædicta poni ad maiorem expressionem auctoritatis Confessarij, quasi dicatur, alijsq; ecclesiasticis sententijs, & censuris, si quę reperiantur, quibus peccator ità ligatus sit, vt ad recipiendum, & lucrandum iubileum minus aptus inueniatur. & dato etiam, quod sint superflua, tamen non vitiant, cum vtilè per inutile non vitietur. L. sancimus. C. de donat. cum simi.

34 Vel sic intelligendo verbum censuris pro pœnis, siquidem omnis censura est pœna; scilicèt spiritualis ecclesiastica. Bonac. vbi supra n. 1. exempli gratia. quis per sententiam Iudicis in pœnam alicuius culpæ fuit prohibitus ingredi ecclesiam vsque ad talem diem, & id Superior prohibuit non animo ligandi illum censura interdicti, sed infligendi pœnam in sui mortificationem, iste poterit lucrari iubileum, non quidem in contemptum Iudicis, sed obtinendo absolutionem ab hac sententia, & pœna in foro conscientiæ tantũ, ità vt sine peccato possit ingredi ecclesiam, & communicare, pręciso ta-

ciſo tamen ſcandalo. & idem dic de quacunque alia ſimplici prohibitione, quando non intenditur ferri cenſura propriè dicta, vt quando Præfecti chori abigunt, & repellunt aliquos Canonicos à choro, ſed non intendunt illos propriè ſuſpendere à choro, vt tangit exemplum Bonac. de cenſu. d. q. 1. punc. 8. ſub n. 2.

35 Pone etiam exemplum in ſuſpenſione, quæ datur à Confeſſario, ne intra certum tempus confiteatur, vel communicet, quæ non eſt propriè cenſura, vt firmat Nau. in man. cap. 27. ſub n. 254. vbi ponit etiam duo alia exempla, vide per te.

36 Et ſi teneas primam reſponſionem, non mireris, cum in Bullis, & Breuibus Apoſtolicis, etiã interdum reperiantur verba, quę videntur ſuperflua, & inutilia, ſed fortè ad maiorem ornatum, vel expreſſionem voluntatis ipſius Concedentis, ob cuius reſpectum non debent dici ſuperflua, ſicut videmus hoc in praxi, puta ſi concedatur aliqua gratia vel indulgentia, vel quid ſimile, ſemper præmittitur clauſula abſolutionis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ad effectum præſentium, &c. etiam ſi conceſſio fiat fęminis, vel puris laicis, qui non ſunt capaces ſuſpenſionis.

37 Et licèt clauſula ſit generalis, vt ſuprà, videlicèt, alijsq; Eccleſiaſticis ſententijs, & cenſuris, &c. non tamen extenditur ad irregularitatem, notam, defectũ, incapacitatem, aut inhabilitatem aliquam, quæ indigeat diſpenſatione, quia præterquam quod non ſunt cenſuræ, nec eis aptatur verbum abſoluere, ſeù abſolutionis, excipiuntur etiam expreſsè per Bullam in d. §. per præſentes, vt ſuo loco.

38 Imò nec extenditur ad ceſſationem à diuinis, nec ad depoſitionem, nec ad degradationẽ, quæ pariter non ſunt cenſuræ, vt latè per Bonac. d. q. 1. punc. 1. ſub n. 4. Et ſi in præmiſſis fiat aliqua obiectio, reſponde vt per Bonaci. vbi ſupra, & vide per te.

39 In Bulla etiam habentur verba illa. à iure, vel ab homine quouis modo, vel cauſa latis, ſeu inflictis. quæri poteſt, quænam ſint cenſuræ latæ à iure, & quæ ab homine.

40 Et dic, quod latæ à iure ſunt, quæ feruntur à legiſlatore cum intentione condendi legem, ſeu ſtatutum generale perpetuum iniuncta tranſgreſſoribus pęna, & per legiſlatorem intellige ſummum Pontificem, Concilia generalia, Legatos, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Epiſcopalem iuriſdictionem habentes, vt Capitula Cathedralium Epiſcopali ſede vacante, & Prælatos nullius Diœceſis

cesis episcopalem iurisdictionem habentes, vt per Bonaci. mox allegandum.

41 Ab homine verò est, quæ fertur à superiore aliquid præcipiente non intētione faciendi statutum, aut condendi legem perpetuam, sed faciendi præceptū temporale, & transitorium, imposita contra inobedientem censura. ita Bonac. d. q. 1. punc. 1. n. 5. post. Sylu. Suarez, Sair. Vgol. & Cominc. ab eo allegatos vbi subdit, primas durare etiam extincto Conditore; alteras vero cessare eo mortuo, vel ammoto ab officio.

42 Et sic intellige de monitorijs vel litteris monitorialibus, puta ad finem reuelandi, vel pro deperditis, vel subtractis rebus cōcedi solitis sub pęna excommunicationis, vt in Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. de refor. nam ea postea fulminata contra inobedientes ita afficit eos, vt nō possint absolui, nisi satisfacta parte. ad trad. per Lazar. de monitor. sect. 4. n. 1. de qua materia circa satisfactionem partis vide, quæ dixi supra n. 23. 24. & 31.

43 Quæ autem sint latæ sententiæ, & quæ ferendæ, siue comminatoriæ, vide latè per te apud eundem Bonac. vbi proximè supra n. 6.

44 Et quia supra n. 18. dictum est, talem Confessarium ab omnibus censuris etiam Episcopo, imo & summo Pontifici reseruatis absoluere posse, quæri potest, quid dicendum de eo, qui in cōfessione non confitetur censuras, & tamen est censuratus, & hoc vel quia non recordatur, vel quia omninò ignorat: nam si sciret, & taceret, clarum est non censeri absolutum per trad. per Bonac. de censu. d. disp. 1. q. 3. p. 6. n. 11. Distingue tamen vt ibi.

Resp. quod probabiliter teneri potest, quod talis censeatur absolutus pro tunc, cum verisimiliter credendum sit, Confessarium occasione iubilei impertitum fuisse omnem suam auctoritatem ad commodum pęnitentis, qui in actu confessionis fuit in bona fide. Tenetur tamen, si postea recordetur, confiteri casum, cui fuit annexa cēsura reseruata, cuicunque Sacerdoti etiam facultatem absoluēdi ab illa censura non habenti, siquidem per talem absolutionem tempore iubilei datam iam fuit sublata reseruatio. Quod puto verum, si Confessarius verè habuit intentionem absoluendi à censuris etiam oblitis, & non confessis, vnde tutius erit adhibere Cautelam, de qua infra n. 54. & 79. vbi agitur de peccatis reseruatis. vide ibi. Et quatenus dixi teneri ad confitendum casum, vide infrà n. 55.

45 Sed

Digitized by Google

45 Sed ad materiam quotidianam quæri poteſt, qua forma vti debeat Confeſſarius occaſione iubilei in abſolutione à cenſuris. Reſp. cum Bonac. de cenſur. d. q. 3. p. 5. n. 1. & alijs, quos citat, & ſequitur, ad abſolutionem cenſuræ non eſſe neceſſariã certam, & determinatam formam verborum, ſed ſufficere quæcunque verba apta ad ſufficientèr exprimendam abſolutionem, puta, abſoluo te, ſeù rebenedico te, vel aliquid æquipollens cum intentione abſoluendi ſecundum Syluest. ver. abſolutio. 3. n. 2. & Nau. in man. cap. 26. n. 9. non tamen per nutus, & ſigna, cum ſolus Summus Pontifex id poſſit, qui ſupremam habet poteſtatem, & facultatem abſoluendi non ſeruata forma iuris communis, vt ſubdit Bonac. ibidem n. 5. & 6. & eſt clarum per tex. in clem. vlt. iunc. glo. de ſent. excom.

46 An autem requiratur expreſſio cauſæ ipſius cenſuræ in actu abſolutionis, Dic cum eo. Bonac. vbi ſupra n. 7. quod non, per ſe loquendo, nam fieri poteſt, vt quis ſit ligatus pluribus cenſuris, tunc eo caſu requiritur expræſſio cauſæ ad denotandum cenſuram certam, & determinatam, vt ibi dicitur, vbi tamen loquitur generalitèr, nam occaſione iubilei clarum eſt, omnes excommunicationes eſſe tollendas, vt Pœnitens aptus ſit ad abſolutionem peccatorum. in reliquis autem aptatur eius doctrina etiam ad tempus iubilei, in quo à S. P. non præſcribitur certa forma verborum, vnde remanet totum in diſpoſitione iuris communis, & ſic pro caſu, de quo proximè ſuprà. & ad materiam vide eundẽ Bonac. d. diſp. 1. q. 3. punc. vlt. per totum, vbi concludit, in abſolutione in foro conſcientiæ, & pęnitentiali nullam requiri expreſſionem cauſę, ſed in abſolutione in foro exteriori.

47 Et hoc totum clarum eſt etiã per trad. in Rituali Romano, quę habent vim legis, in quo præſcribitur forma, & ritus omninò ſeruandus, vbi agitur de Sacramento Pœnitentiæ, ibi enim prius traditur forma abſolutionis dandæ Pœnitenti, iniuncta tamen prius, & ab eo acceptata pœnitentia ſalutari, & eſt hæc. Miſereatur tui, &c. deinde dextera verſus pęnitentem eleuata, ſubditur. Indulgentiam, &c. deinde. D. N. Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius te abſoluo ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti in quantum poſſum, & tu indiges. Deinde datur abſolutio à peccatis.

48 Sed notandum, quod abſolutionis forma ſupradicta à cenſuris eſt ad cautelam, quæ ſemper eſt

per est præmittenda absolutioni à peccatis: sed quando censuræ sunt certæ, poterit Confessarius absoluere sic. D. N. I. Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius, & virtute iubilei, seù auctoritate Summi Pontificis, seù S.D.N. qua fungor, te absoluo à vinculo, seù (si plures censuræ sint) ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & prout Pœnitens confessus est. verbum tamen suspensionis non est apponendum in absolutione laicorum, nec quarumcunque fęminarum. vt cauetur in Rituali Romano, & est clarissimum.

49 Nec erit necesse apponere causas, nec subdere verba illa, & restituo te, &c. cum sit forma in foro exteriori seruanda. In foro autem interiori sufficit tantùm dare absolutionem ab excommunicatione per verba illa. Absoluo te à vinculo excommunicationis, vel ab omni vinculo excõmunicationis si plures sint. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Vt clarè etiam habetur ex rubrica Ritualis Romani in fi.ibi. In foro autem interiori Confessarius habens facultatem absoluendi excommunicatum, absoluat iuxta formam communem supra præscriptam in absolutione sacramentali, vbi nulla alia forma præscribitur, nisi forma ad cautelam, & ideò adduntur verba (in quantum possum, & tu indiges) vnde cum non ponantur alia verba, sequitur, vt si fiat absoluta, forma sit ea, quæ supra firmata est, nempe cum omissione illorum verborum (in quantum possum, & tu indiges) & cęterorum, vt supra, cum eo casu si excommunicatio est certa, & certa etiam auctoritas Confessarij, nil aliud sit dicendum, quam absoluo te à vinculo excõmunicationis. Non tamen erit absurdum addere (quam confessus es) vt se referat ad excommunicationem illam, quam Pęnitens confitetur, licèt tempore iubilei magis expediat absoluere generaliter, vt aliàs firmatum est.

50 Quando autem censuræ non sunt certæ, absolutio tempore iubilei semper detur ad cautelã sic. Virtute iubilei ego absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti in quantum possum, & tu indiges. Deinde absoluat à peccatis, dicendo. Ego absoluo te à peccatis tuis In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. vt in Rituali Romano cauetur.

51 Laudo tamen, vt ita, & taliter proferat verba, vt pęnitens audire possit, quia semper lętus, & spirituali solatio refectus abibit. Nec laudandos puto Confessa-

fessarios illos, qui vix labia mouent quando absoluunt,& si mouent, non ita, & taliter, vt audiantur à pęnitente, quem omninò pudet id requirere,& tamen nescit, an absolutus sit, & sic caret hoc spirituali solatio contra mẽtem Ecclesiæ, quæ omni meliori modo Pęnitentibus consulere intendit, & nititur. fauent in prędictis, quæ tanguntur à Syluest. in summa. ver. Baptismus, 3. n. 11. præcipuè in fi. vbi tangitur de forma sacramentorum, ex quibus arguo ea, quæ sunt de substantia sacramenti debere esse certa; vnde cum intentio Ministri sit necessaria, quæ copulet formam materiæ, vt notissimum est, sequitur vt forma sacramenti pęnitentiæ, quæ consistit in verbis illis (absoluo te) iuxta tex. in Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. debeat esse certa, quæ certitudo non potest haberi, nisi per expressionem formæ, vt ex dictis per eundem Syluest. vbi supra in fi. ergo clarè proferenda, vt pęnitens sit certus.

Sed hac occasione obijci posset, quod temeraria, & quandoque falsa videtur esse forma, quia Sacerdos non debet pro certo asserere, quod est illi incertum, an Confitens interius sit absolutus à Deo, cum potuerit deficere in contritione, vel confessione, ergo non debet absolutè dicere, Ego te absoluo.

Resp. cum Corrad. in resp. cas. consc. par. 2. quęsit. 2. quod sicut Iudex absque temeritate, auditis testibus, potest pronunciare aliquem innocentem, licèt in rei veritate non sit, ita Confessarius audito Pęnitente, cui asserenti tam pro se, quam contra se creditur, in foro conscientię absoluere poterit,&erit absolutus, nisi ponat obicem. Quòd autem Sacerdos verè absoluat, vt Iudex,& absolutio sacramentalis sit actus iudicialis non autem nudum ministerium pronunciandi, vel declarandi, remissa esse peccata, est de fide, vt in Conc. Trid. d. sess. 14. can. 9. vnde cum iudicet secundum allegata, & approbata, videlicèt secundum confessionem,& actus pœnitentis inferentes veram pœnitudinem peccatorum, non temerariè facit, sed rectè iudicat.

52 Sed quid, si pęnitens scit se excommunicatione ligatum, & illum tantum casum confitetur tempore iubilei, & à Confessario obtinet generalem absolutionem, putà, per verba illa solita (absoluo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, &interdicti in quantum possum, & tu indiges) an censeatur absolutus ab illa sola, vel etiam ab omnibus alijs, quibus erat innodatus, si quæ, &c. Dic quod cum talis Confessarius vtatur ea facul-

Digitized by Google

facultate, qua poteſt, & tempore iubilei habeat amplam, cenſetur abſolutus etiam ab alijs, ſi tamen Confeſſarius habeat animum abſoluendi etiam ab alijs, ſi quæ, &c. Vnde tutius erit petere abſolutionem non ſolùm ab illis, quarum eſt memoria, & quas confitetur, ſed etiam ab omnibus alijs, ſi quæ extarent, & quas ignoraret, vel non recordaretur, quia tunc clarum eſt, Confeſſarium impertitum fuiſſe ſuam auctoritatem iuxta petita. ad trad. in ſeqq. nu. & hæc quo ad abſolutionem in confeſſione ſacramentali.

53 Si verò Confeſſarius eam impertiretur extra confeſſionem ſacramentalem, cenſeretur data iuxta petita, vt ſupra, & conſequenter ab vna tantum; imò idē ſi in confeſſione ſacramentali, & Sacerdos non haberet facultatem quo ad alias, quia licèt daret generalem abſolutionem, cenſeretur limitata iux. petita. Bonac. de cenſu. diſp. 1. q. 3. p. 6. n. 2. & 3.

54 Vnde aduertè, optimum Cōſilium eſſe pęnitenti iux. Nauar. Vgol. & Sair. ibi allegatos, in confeſſione petere tempore iubilei abſolutionem generalem ab omnibus cenſuris, ſi quæ, &c. quia tunc remanebit ab omnibus abſolutus, vt dicitur etiam infra n. 79. circa caſus reſeruatos, quod eſt valde notandum pro quiete conſcientiæ, & pro ſpirituali ſolatio animæ.

55 Sed hic quæri poſſet (ſtante quod talis pęnitens ſi recordetur alicuius cenſuræ, quam non fuit confeſſus, teneatur confiteri ſaltem cuicunque Confeſſario etiam extra iubilei tempus, & etiam non habenti facultatem ſuper cenſura reſeruata, vt notiſſimum eſt, & alibi firmatum fuit, & dicit Bonac. d. punc. 6. n. 5.) Vtrum talis pęnitens ſatisfaciat confitendo peccatum ſolum, cui annexa erat excommunicatio, abſque eo, quod teneatur confiteri cenſuram annexam & dic abſolutè teneri quidem confiteri peccatum, non autem cenſuram annexam etiam ſi Cōfeſſarius haberet facultatem ſuper cenſura. Ratio eſt, quia cōfeſſio peccatorum integrè faciēda eſt ex iure diuino, & ad ſatisfaciendum Deo; non verò iure Diuino ſancitum eſt, vt cenſuræ manifeſtentur in confeſſione, quæ tamen in tantum manifeſtandę ſunt, in quantum opus eſt vt auferantur, ne Pęnitentem impediant in aſſecutione ſacramenti pęnitentiæ, & ſic in abſolutione à peccatis. Si ergo ſemel aliqua ratione ablatæ ſunt, non eſt neceſſe eas iterum exprimere in ſacramento, ſicut neceſſe eſt exprimere peccata mortalia oblita ſiue habuerint annexam cēſuram, ſiue non. ita egregiè idē Bonac.

Digitized by Google

Bonac. d. punc. 6. n. 6.

56 Sed quia dictum est supra n. 20. non posse absolui vigore iubilei eos, qui aliqua censura ab aliquo Iudice fuerint innodati, nisi prius satisfaciant, vel concordent cum parte.

Quæri potest, an si quis tempore iubilei v. g. excommunicatione ligatus ab aliquo Iudice ignoranter, vel inaduertenter omittat confessionem talis censuræ, quæ requirat satisfactionem partis, censeatur absolutus ab ea per generalem absolutionem impartitam à Confessario, & ad petitionem Penitentis, qui ad cautelā eā petierit, ita vt si postea recordetur, satisfaciat cōfitendo casum, & tacendo censurā

Resp. non satisfacere, imò nō esse absolutum, quia stante quod requiratur satisfactio prius, casus remanet exceptus de regula, ita vt Confessarius in eo nullam vigore iubilei auctoritatem habuerit, vnde dicendo absoluo te in quantum possum, & tu indiges, non est absolutus cum effectu, quia licèt indiguerit, tamen Confessarius non potuit, stante quod per Bullam expresse prohibeatur, vt suprà dictum est, & ita etiam firmat Bonac. de censu. d. disp. 1. q. 3. p. 6. n. 4. & est valdè notandum contra nonnullos DD. contrarium sentientes. & quidem benè dicit, cum reddat etiam rationem euidentem; non enim est credibile, Confessarium intendisse absoluere ignoranter ab excommunicatione, à qua si sciuisset, absolutionem non esset impertitus, nā si sciuisset, mortaliter peccasset absoluendo ante satisfactionem debitam, vt ibi.

57 Sed quid, si Pœnitens esset talis, vt aliqua iusta causa tunc excusaretur à satisfactione? Hoc non vidi tactum à DD. sed meo iudicio responderem negatiuè etiam hoc casu, nempe non esse absolutum, quia non est præsumendum, illum voluisse facere contra Bullam: Et si obijcias, quod fieri potest, quod talis penitens fuerit omninò impotens ad satisfaciendum: Resp. quod talis cognitio adhuc debebat præcedere in Confessario, qui saltem ab eo potuisset exigere cautionem iuratoriam, quod cū factum non sit, reddit absolutionem nullam saltem ex defectu intentionis, cum voluntas non feratur in incognitum. ad tex. in l. nec ignorans. C. de donat. vnde cum actus agentium regulentur à voluntate ipsorum. vulg. iur. sequitur, vt supra, Cogita, & tu Penitens, vt sis tutus in conscientia.

58 An autem Penitens impotens ad satisfaciendum possit aliquo modo absolui ad consecutionem iubilei, etiam ante actualem satisfactionem, dictum est supra à n. 23.

n. 23. vsq; ad 31 inclusiuè.

59 Quæri prætereà posset, quomodo intelligantur verba illa (nisi prius satisfecerint, vel cum parte concordauerint) Dic nomine partis læsæ non venire superiorem conditorem censuræ, sed aliam personam distinctam: nomine autem satisfactionis intelligi restitutionem honoris, famæ, vel aliorum bonorum. ità Bonac. post Sot. Enriq. Auil. & Suarez. d. disp. 1. q. 3. p. 9. in princ. & nomine partis venire in criminalibus non solum illum, qui damnum passus est, sed etiã Curiam Fiscalem, quando cognita causa per sententiam talis excommunicatus condemnatus fuisset ad soluendum pœnam. Lazar. de monitor. sect. 4. q. 12. nu. 7.

60 Dubium tamen videtur hic, quia non dicitur in Bulla (parti satisfecerint, vel cum ea concordauerint) sed (nisi satisfecerint, aut cum partibus concordauerint) vnde verbum (satisfecerint) videtur referri ad iudicem, siuè tribunal, & verbum (concordauerint) ad partem. Ego tamen in hoc non puto insistendum, cum verbum (satisfecerint) semper respiciat læsum, vel eum, qui damnum passus est, vt per Bonac. vbi supra, & verbum (cõcordauerint) idem, vt clarè dicitur: hic autem ponitur verbũ (concordauerint) ad differentiam verbi (satisfecerint) quod est principale, vnde non mirum, si subditur (concordauerint) quod pluribus modis fieri potest; Vnde idem est, quod dicere satisfecerint realitèr per restitutionem, vel solutionem eius, quod debetur, vel saltem aliter concordauerint, puta per satisdationem, vel per dilationem, vel per acceptilationem, vel per remissionem, vel per renunciationem, vel condonationem, seù eleemosinam, & similia, vt de se patet.

61 Quæri præterea potest, vtrum Pœnitens, qui tempore iubilei confessus est censuras, & peccata reseruata, & postea non adimplet alia adimplenda, ità vt non consequatur iubileum, censeatur benè, & validè absolutus.

Resp. aut iste talis quando confessus est, habuit intentionem adimplendi cętera, & iubileum lucrandi, aut non.

Primo casu est bene absolutus, quia absolutio licèt detur ab eo, cui intuitu iubilei data est facultas, non est tamen conditionalis, sed absoluta. Secundò autem casu, secus. Bonac. de cens. d. disp. 1. q. 3. p. 6. n. 13. & de Sacram. disp. 5. q. 7. p. 5. §. 5. n. 16. hoc idem est etiam de mente Rodriq. par. 1. cap. 184. n. 15. Quod puto verum, quo ad secundum casum, si positiuè Pœnitens habuit animum

non

non adimplendi cętera, quia directè videtur fecisse contra mentem Concedentis, & in spretum iubilei per actum moralem, & voluntarium, vndè non meretur beneficium. arg. tex. in l. 1. iunc. auth. seq. C. de hæret. & manich. Sed si negatiuè, hoc est in actu confessionis actualitèr nō habuit animum adimplendi cætera, quia fortè non aduertit, & si aduertisset, animum, & propositum adimplendi omninò habuisset, credo, quod sit bènè absolutus, quia si non actualitèr habuit tunc propositum adimplendi, saltem virtualitèr videtur habuisse, cum ad effectum consequendi iubileum motus fuerit ad confessionem: Et hoc tanto magis, si etiam aliqua alia opera iam adimplesset; vndè si in actu confessionis id non aduertit, clarum est, id in eo non fuisse voluntarium, cum inaduertentia careat voluntate, sine qua actus agentium non operantur. arg. l. non omnis. ff. si cer. pet.

62 Quæri item potest, an absolutio à censuris virtute iubilei possit dari à Confessario etiam extra Sacramentum pęnitentiæ, & sic extra confessionem. Resp. Alf. de leo. tenere absolutè opinionem affirmatiuam per verba illa in Bulla (in foro conscientię) quam clausulam dicit inportare, vt possit impendi absolutio extra sacramentum. ità in term. in suo tract. de offi. & pote. Confess. temp. iub. par. 2. q. 11. n. 56. & seqq. vbi etiam aliquos DD. allegat. vide ibi.

63 Ea tamen opinione non obstante, puto in hoc puncto distinguendum inter forum pęnitentiæ, & forum conscientiæ; est enim triplex forum, scilicet contentiosum, pęnitentiale, & forum conscientiæ, quod videtur medium inter forum contentiosum, & forum pęnitentiale. vt firmat Prap. in c. prætera. il 2. n. 5. de sponsal. & ref. ac seq. Lazar. de monit. sect. 4. q. 15. sub n. 7. licèt magis latinè loquendo esset dicendum, quod triplex est forus. vt c. forus. de ver. sig. sed. tamen Lazar. ponit forum in genere neutro, quod nunc quo ad materiam, de qua agitur, nihil refert.

64 Quando autem aliquid committitur in foro conscientię tantum, intelligitur ad exclusionē fori exterioris, & contentiosi, nō ad exclusionem fori pęnitentiæ, nisi ex coniecturis. Vnde si simpliciter committitur aliquid in foro conscientiæ tantum, non est dubium, quod tunc non requiritur administratio sacramēti pęnitentiæ: sed si committitur cum aliquibus expressionibus, puta si committitur Confessarijs approbatis, ex his verbis videtur commissum in foro pęnitentiali, quod exercetur solum per Con-

Confessarios, & facultas absoluendi à censuris videtur tribui, vt quoddam præludium necessarium ad absolutionem peccatorum, quam constat non posse dari, nisi sacramentalitèr confesso, vt firmat Nauar. in man. cap. 26. n. 31. & seq. Lazar. vbi supra n. 11. qui tamen in meo libro allegat Nau. n. 13. sed est error Typographorum. allegat etiam Io. Capeauill. par. 2. de cas. reser. cap. 10. q. 1. diff. 4. vide per te.

65 Et hanc opinionem tanto magis puto veram in casu pręsentis iubilei, quia præter prædicta verba, etiam adduntur illa (iniuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis casibus pœnitentia salutari, & alijs iniungendis) vt in Bulla. §. quæ omnia. in fi. & tangit Lazar. d. q. 15. n. 10. qui dicit, dicta verba non posse aptari, nisi soli Sacramentali confessioni, & subdit, hanc opinionem esse tutiorem.

66 Et licèt verba illa (in supradictis casibus) possint referri ad peccata, non autem ad censuras; in præsenti tamen materia puto referri ad omnia prædicta, quæ requirunt absolutionem, cum verba illa (absoluere possint) posita sint in fine clausulæ continentis tàm censuras, quam peccata, per conclusionem in iure, quæ habet: Vna determinatio, quæ respicit plura determinabilia, debet ea pariformitèr determinare. l. nam hoc iure. ff. de vulg. & pup. subst. & l. fi. C. de sent. & inter. om. iud. & maximè stante annexione censuræ; cum in hoc proposito non detur casus sine censura, nec censura sine casu, vt est clarissimum.

67 Quare opinio Alf. & aliorum contrarium tenentium licèt per se non sit improbabilis, puto tamen eam procedere tantum, quādo nil aliud concurrit, quod faciat pro foro pęnitentiali: nostra autem, quæ est probabilior, & tutior per auctoritates adductas, procedat, quando alia verba concurrunt, quæ faciunt pro foro pœnitentiali, vt in casu nostro, & in terminis Bullæ præsentis iubilei, in qua sunt hæc pręcisa verba vltra iam dicta, videlicèt in foro conscientiæ, & pœnitentiali. vt in §. per pręsentes. quod est valdè considerandum.

Quarè benè aduertant Confessarij, ne impertiant absolutionem à censuris extra forum pęnitentiale, & sacramentum confessionis, seù pęnitentiæ.

68 Et licèt dici possit, quod censura est materia quædam, super quam non cadit absolutio sacramentalis, cum possit tolli sine sacramento, vt tangit Bonac. de cens. disp. 1. q. 3. p. 6. n. 8. qui ibi videtur tenere contrarium per iam dicta; tamen ipse non facit contra, si bene aduertatur,

dum

dum addit illa verba (nisi aliter colligatur ex verbis commissionis) & iam dictum est, ex verbis Bullæ aliud colligi, vt supra, & infra etiam n. seq. imò idem n. 7 dicit, quod quando facultas est absoluta, & generalitèr data, est generalitèr intelligenda, quod nos non negamus.

69 Ad magis firmandam hanc opinionem cum distinctione, vt supra, facio aliam considerationem, nempe intentionem S. P. in iubileo esse, vt quis reddatur iustus coram Deo ad effectum, vt exaudiatur in præsentibus necessitatibus, vnde meritò vult, peccatores transire per viam sacramenti pœnitentiæ, quo quis Deo reconciliatur: & licèt censura, vt excommunicatio sit per se quid diuersum à peccato, tamē negari non potest, quin sit annexa peccato, propter quod hac occasione non videtur intendere, vt censura tollatur sine peccato, vndè meritò requirit absolutionem sacramentalem, quæ consideratio non fit necessariò in alijs occasionibus præter iubileum; absolutio enim à censuris interdum fit ad alios effectus, puta vt quis communicare possit fidelibus, vel vt quis sit aptus ad comparendum in iudicio, vel quid simile. cogita. Dico tamen, quod si aliqua censura aliquo modo, & aliqua occasione considerari potest per se, & quatenus non est annexa peccato, non dissentio à Bonac. vt supra cum nec dissentiat P. Auers. de Sacram. pœnit. q. 10. sect. 2. vers. sed nec etiam.

70 Item quæri posset, vtrum absolutio ab excommunicatione virtute huius iubilei dari debeat præmisso iuramento de parendo mandatis Ecclesiæ, & cum percussione etiam nudato humero, & cum Psal. Miserere. Resp. negatiuè, cum talis forma habeat locum in foro externo, non in foro pœnitentiali, & conscientiæ, vt in casu nostro. ità D D. & post eos Bonaci. de cens. disp. 1. quęst. 3. p. vlt. in fi. tertiæ propositionis. & Alf. d. q. 11. n. 58. & alibi tactum est.

71 Et quia supra n. 61. quæsitum est, vtrum Pœnitens, qui tempore iubilei confessus est censuras, & peccata reseruata cum intentione consequendi iubileum, & præstandi cętera præscripta in Bulla, remaneat absolutus, si obtenta absolutione aliquid postea omisit, ratione cuius non consequatur indulgentiam, vt si omittat ieiunium, vel eleemosinam, vel aliud iniunctum, quæri hic posset, an talis grauiter peccet per non adimplementum cęterorum. Dic quod non. ità ex Bonac. post Enriq. & Sanchez per eum citatos contra Suarez, de Sacram. disp. 5. q. 7. punc. 5. n. 18.

Sed

Digitized by Google

Sed quia format quæsitum, an grauiter peccet, videtur sentire tacitè, per saltem aliqualitèr peccet; & credo, quod sic, quia implicitè saltem videtur cōtemnere thesaurum Ecclesiæ, nō autem grauitèr.

72 Si autem explicitè contemneret, grauiter peccaret, quia grauem faceret iniuriam Concedenti, seù ipsi indulgentiæ, & priuilegio. argumento eorum, quę ibi dicuntur. quod totum intelligo, si voluntariè cætera ommittat; quia si ex aliqua causa iusta, vel rationabili, puto nec venialiter peccare.

73 Sed quid dicendum de eo, qui reticet cēsuram Confessario, seù peccatum, cui cēsura annexa est? Distingue, vt per Bonacin. de censs. d. q. 3. p. 6. n. 11. Aut cēsura reticetur ex obliuione, & censetur absolutus à censura: intellige, si Sacerdos habet facultatem, & intendit absoluere à censuris, vt fieri debet tempore iubilei, vt aliàs dictum est. Aut sponte, & sine causa reticet, & nunquam præsumitur voluisse absoluere. Si tamen est ordinarius, & intendat absoluere à censura extra sacramentum pęnitentiæ, absoluit. idem dic de delegato, si nō habet auctoritatem limitatam. Si uerò absoluat in foro pœnitentiali, talis non est absolutus, vt dictum est. vide abundantius per te.

74 Tandem quæri potest de casu speciali, & speciali excommunicatione, scilicèt ob percussionem Clerici suadente Diabolo, an videlicet qui hanc incurrit, satisfaciendo parti lęsæ, scilicet Clerico siue per solutionem eius, ad quod tenetur ratione impensarum, si quæ, &c. vel damni illati, siue per condonationem, vel reconciliationem, seu remissionem Clerici, dicatur satisfecisse parti, ita vt ad nil aliud teneatur ad hoc, vt absolui possit virtute iubilei. Resp. quod cum duplex iniuria fiat per percussionē Clerici, scilicet personę Clerici offēsi, & toti ordini, seu statui clericali, duplex etiam satisfactio erit exhibenda, videlicet Clerico, & Ecclesiæ, facta autem remissione à Clerico, non videtur plenè satisfactum debito, cum etiam Ecclesiæ aliquid debeatur pro cōmuni satisfactione totius clericalis ordinis offensi; quę tamē satisfactio satis dicitur fieri, si offensor se ipsum humiliter Absoluenti subiecerit, ostendendo se paratum ad acceptandam pęnitentiam, cum iuramento de parendo mandatis Ecclesiæ, & similibus, quæ in actu absolutionis fiunt. ita Bonac. de censur. disp. 2. q. 4. p. 5. n. 5. contra Auil. ibi allegatum, qui post Nau. in man. cap. 18. n. 46. tenet, solam satisfactionem Clerici offen-

Digitized by Google

ci offensi sufficere, cum ipse sit principalis offensus: status autem clericalis minus principalis, quod tamē Bonacinę nō placet. Sed potest hęc opinio Auil. locū habere in foro conscientiæ, & pęnitentiali, in quo non est necesse adhiberi tot ceremonias, vt supra firmatum est.

75 Sed quid dicendum de Clerico excommunicato propter sui ipsius percussionem factam suadente diabolo? vel propter consensum in eam. clarum est enim hunc esse excommunicatum.

Dico, quod cum sibi ipsi volens nullam fecerit iniuriam, solus status clericalis censetur offensus, cui satisfit per impositionem aliquam faciendam à Iudice, si ad forum exterius delatum sit crimen; vel per pęnitentias salutares in foro pęnitentiali à Confessario imponendas arbitrio ipsius Confessarij, & sic poterit absolui. Bonac. vbi proximè supra d. q. 4. p. 5. n. 6.

Ad Tertium Principale eiusdem Cap. V.

SVMMARIVM.

Cuius auctoritatis sit Confessarius tempore iubilei erga Pęnitentem quo ad absolutionem à peccatis, n. 76.

Casus reseruati Episcopo sunt in triplici differentia. sub eo. n. 76.

In quibus Confeßarius tempore iubilei se ingerere non potest. n. 77.

Facultas absoluendi habet locum in foro conscientiæ tantum. n. 78.

Absolutus tempore iubilei si postea recordetur extra tempus iubilei alicuius casus reseruati, an teneatur adire Confeßarium, qui habeat facultatem super reseruatis, vel sufficiat adire quemcunque Confessarium. n. 79.

An ei, qui confitetur inualide tempore iubilei censeatur sublata reseruatio. n. 80.

Sed quid, si confessio fuerit informis. n. 83.

An Bulla intelligatur loqui de verè pœnitentibus. n. 81.

Ad quid censeatur conceßa facultas absoluendi à reseruatis. n. 82.

Quæ dicatur confessio inualida, & quæ informis. n. 84.

Quid quo ad indulgentiam casu quo confessio fuerit informis. ibidem. vers. sed in hoc, vbi notatur Cautela considerabilis.

Quot Casibus confessio possit esse informis? ibidem, vers. ad materiam remissiuè.

Quid de confessione facta socio criminis tempore iubilei, n. 85.

Vbi non est eadem ratio, non debet esse eadem dispositio, sub d. n. 85.

Ad quid fiat reseruatio casus, sub d. n. 85. vbi, quia cum reseruatio, &c.

Quomodo intelligatur prohibitio audiendi complicē criminis in confessione, n. 86

Quid in articulo mortis quo ad socium criminis, n. 87.

Quid in casu quo v. g. mulier nullum alium Confessarium habeat, & teneatur communicare, n. 88.

Absolutio quæ dicatur directa, & quæ indirecta, sub eo. n. 88. & n. 89.

Et an in casu scandali euitandi possit quis absolui etiam à reseruatis, & censuris ab eo, qui caret facultate, sub eo n. 88.

Digitized by Google

n. 88. vers. quod est.

Et an detur casus, vt veniale per accidens sit materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ. n. 89.

Et an indirecta absolutio habeat locum sine directa. ibidem

Qua forma vti debeat Confessarius tempore iubilei in absolutione à peccatis, vel concessione, seù communicatione indulgentiæ plenissimæ. n. 90.

Indulgentia non est in forma commissaria, sed gratiosa. n. 91.

Ad Tertium Principale, videlicèt.

76 CVius auctoritatis sit ergà Pœnitentem huiusmodi Confessarius sic electus quo ad absolutionem à peccatis.

Dic, quod huiusmodi Confessarius potest absoluere ab omnibus peccatis, & excessibus quantumuis grauibus, & enormibus etiam reseruatis Episcopo, imò etiam reseruatis Papæ (de his autem dictum est supra à n. 18. & infra, cum omne peccatum reseruatum Papæ habeat censuram excommunicationis annexam) & de hac auctoritate patet in Bulla §. quæ omnia. ibi ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, &c. absoluere possint, & valeant; vnde cum verba constitutionis sint clara, non erit ambigendum, præcipuè de casibus reseruatis Ordinario, in quibus facultas etiam intelligeretur data, licèt expresse de illis non esset facta mentio. vt ex doctri. Alf. de leo. de pote. Confess. &c. par. 2. q. 10. n. 34. 35. & 36. vbi dicit casus reseruatos Episcopo esse in triplici differentia, scilicèt à iure, ab homine, & consuetudine. Vide ibi. Omnes enim casus côpræhenduntur per verba illa in d. §. quæ omnia. ibi. quomodocunq; reseruatis.

77 Ab hac tamen generali regula excipiuntur nonnulli Pœnitentes, qui peccato habent censurã annexam, de quo dic, vt supra n. 19. & 20. vbi de censuris dictum est, licèt hæc exceptio hic non sit necessaria, (cum exceptio sit de regula, & in hac regula censuræ non compræhenduntur, cum satis de illis dictum fuerit supra ad secundum principale à n. 18. & infra, nisi dicatur, exceptionẽ hic fieri ratione peccati.

78 Est autem aduertendum, quod hæc facultas absoluendi ab omnibus excessibus, &c. habet locum in foro conscientiæ, & pœnitentiali tantum, quod quid importet, dictum est supra n. 21. & 22. vide ibi.

79 Quæri nunc potest pro expeditione huius materiæ, an qui habet casum reseruatum, & non confitetur illum, quia non recordatur, & obtinet absolutionem ab omnibus tempore iubilei, si postea recordetur transacto iubileo, teneatur adire Confessarium, qui habeat facultatem absoluen-

Digitized by Google

soluendi ab illo casu, vel sufficiat, si confiteatur vnicuiq; Confessario approbato, etiam quod talem facultatem non habeat. Dic sufficere, quia casus non est amplius reseruatus per absolutionem generalem tempore iubilei, qua fuit sublata omnis reseruatio, & hoc bene nota. Quod tamen intellige procedere, dummodo Confessarius tempore iubilei habuerit intentionem absoluendi ab omnibus reseruatis: sed quia hoc Pęnitenti non est certum, optimum consilium, & Cautela datur à DD. vt quilibet Pęnitens tempore iubilei in actu Confessionis petat absolutionē generalem ab omnibus casibus etiam reseruatis, si qui essent, quia tunc absolutio censetur impertita iuxta petita, & tutus erit in conscientia; & idem etiam procedit quo ad censuras, vt dictum est supra sub n. 44. tradit Nau. in man. cap. 26. n. 13. & copiosè Bonaci. per longum discursum, qui multos alios allegat. de pęnit. disp. 5. q. 7. p. 5. §. 5. à n. 1 vsq. ad 8. inclusiuè.

80 Sed quid, si Pęnitens confiteatur inualidè, nunquid censeatur sublata reseruatio? Dic, quod non. & ratio est; quia tēpore iubilei non conceditur absolutè facultas absoluendi à reseruatis quoslibet pœnitentes, sed verè pœnitentes: sed qui inualidè confitetur defectu doloris, vel integritatis, non est verè pœnitens, vt post Rodriq. & alios concludit idem Bonac. vbi proximè supra n. 9. ergò, &c. & vide Rodriq. in Summa par. 1. cap. 184. n. 13. Ponit etiam de eo, qui ob pudorem non confitetur peccatum etiam, quod non sit reseruatum, quia à reseruatis etiam confessis nō est absolutus.

81 Quòd autem Bulla intelligatur de verè pœnitentibus arguē ex verbis illis in princ. ibi. fideliumq; & Deum timētium, quorum ipse, vt speramus, voluntatem faciet, &c. & in §. quapropter. ibi. & simul multorum effusis precibus fructuosius exaudiamur. & vide, quæ dixi de sacramentali confessione, quæ est onus quinto loco impositum, & omninò adimplēdum supra par. 3. cap. 5. n. 1. & seqq.

Quis autem dicatur verè pęnitens, & quæ dicatur vera pœnitentia ad quærendum iubileum, vide Nau. de iubil. in expos. Bullæ Greg. in ver. pęnitēs. & in man. cap. 1. n. 22. & de hoc dixi infra hac ea. par. 4. cap. 6. n. 24. & 25.

82 Et re vera facultas absoluendi à reseruatis tempore iubilei conceditur in ordine ad consequendum iubileum, ad consecutionem cuius prærequiritur confessio tanquam conditio: sed si confessio non est valida, nec valida erit absolutio; & pœnitens tunc

tunc dicitur non adimplere mentem Concedentis ex trad. per eundem Bonac. vbi proxime supra sub n. 8. Et hanc puto veram, licèt adsint DD. qui teneant contrarium, nempe sublatam esse omnem reseruationem, si tamen data sit absolutio ab Ordinario, seù Superiore habente ordinariam iurisdictionē: secus si à delegato, vt contingere potest in casu iubilei, imò etiam hoc casu, quo datur absolutio à delegato, aliqui volunt idem procedere, cum sit eadem ratio, si videlicet absoluens habuerit intentionem absoluendi, quia licèt sacramentum sit nullū, & nullum possit producere effectum, scilicet quo ad remissionē culpæ, potest tamen quo ad sublationem reseruationis, quæ etiam extra sacramentum fieri potest: quod intelligo saltem quo ad Ordinarium, non quo ad delegatum. vide eundem Bonaci. hanc opinionem nō refellentem ibidem n. 9. Sed primam puto veriorem, & tutiorem; & hoc in iubileo extraordinario, in quo iniungitur confessio pro adimplemento, & conditione, qua non impleta, nec sequitur effectus: secus fortè in iubileo ordinario, de quo dic, vt infra cap. 7. n. 38. 39. & 40.

83 Sed quid dicendum si confessio valida quidem sit, sed tamen informis, nunquid absolutio erit valida; & consequenter tollet omnem reseruationem virtute iubilei? Et quo ad valorem, dic quod sic, cum virtute talis absolutionis directè remitti possint peccata recedente fictione, propter quam illa confessio fuit informis. ita contra Nugn. tenet Suarez, quem citat, & sequitur idem Bonac. de pęnit. d. disp. 5. q. 7. p. 5. §. 5. sub d. n. 8. quod est valde notandum.

84 Quæ autem dicatur confessio inualida, & quæ informis, dic, quod inualida est, quæ nulla est ex defectu alicuius circumstantię essentialis: Informis vero est, quæ non est quidem nulla, cum per absolutionem habitam in confessione directè fieri possit remissio recedente fictione, quæ causa est, vt sit informis; & est (exempli gratia) ea confessio, quam facit Pęnitens, qui existimat se sufficienter dispositum, quamuis verè non sit, imò quamuis sit aliter dispositus, ita vt nō consequatur gratiam ex absolutione, si tamen ipse putet illam attritionem sufficientem esse, cōfessio non est iteranda, vt post Sot. tenet Tolet. lib. 3. cap. 10. sub n. 7. Benè verum est, quod cum illi constiterit male accessisse, sufficit ei hoc confiteri, non autem est ei opus peccata iterum exprimere, vt ibi subdit: nam post agnitum defectum non tenetur pęnitens repetere confessionem

sionem informem, sed solum tenetur confiteri illam fictionem secundum D. Thomam mox allegandum: per fictionem autem intellige illud peccatum, quod impediuit effectum sacramenti, de quo nempè homo non habuit dolorem sufficientem ad dictum effectum, ita tamen quod in hoc defectu non commiserit nouam culpam, sed ex inuincibili ignorantia, seu inaduertentia fuerit excusatus, vt ex D. Thoma in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. & Valent. q. 11. punc. 2. ad fi. tradit P. Auers. de sacram. pęnit. q. 14. sect. 6. vers. secundus casus. & ex hac conclusione elice, confessionem inualidam esse nullam, & iterandam; informem autem secus, recedente scilicet fictione. exemplum informis vide etiam apud Alf. de leo. d. par. 1. quęst. 1. sub n. 83. & abundanter tradit Bonac. de sacram. disp. 4. q. 6. p. 5. per totum, & idem P. Auers. in fi. hic allegandus, vnde nec fortè erit sine indulgentia.

Sed in hoc sic distinguendum puto (quod bene nota) Aut fictio recedit ante vltimum opus adimplendum: aut post. Si ante, quia iste pęnitēs redit in gratiam, non est dubium, quod etiam redditur capax indulgentiæ, cum in vltimo instanti reperiatur in gratia. Si verò post, dico secus, quia quando redit in gratiam per recessum fictionis, est omnino extra tempus iubilei, quia iam adimpleuerat vltimum opus, quod secundum Iubileum nostrum erit sacra Communio, quæ etiam fieri potest extra hebdomadam iubilei, vt dicitur suo loco, & sic extra tempus; indulgentia enim nō stat in suspenso, quæ tunc recipitur, quando quis est in gratia, & per retractationem informatur sacramentum, quod erat informe, & bene elicitur ex trad. per eundem Alf. vbi supra sub. d. n. 83. quod est valde notandum, maximè in iubileo extraordinario, licèt Alf. videatur loqui in terminis iubilei ordinarij, & sic contra opinionē nonnullorum, de quibus ibi sub d. n. 83. pro qua contraria (quatenus etiam sit probabilis) videlicet quod etiam indulgentia post vltimum opus aquiratur, dat cautelam, vt ante vltimum opus talis, qui vult aquirere indulgentiam, communicet etiam quod non confiteatur: per tale enim sacramentum recipit gratiam, & sic in vltimo opere erit capax iubilei; & quod dicit Alf. de sacramento Eucharistiæ, idē dici potest de quolibet alio sacramento, & præcipuè in casu nostro de sacramento extremæ vnctionis, cum alia minus adaptentur casui, quia eadem ratio est in omnibus sacramentis vltra Baptismum, & Pęnitentiam, ex quibus

Digitized by Google

quibus per se confertur prima gratia, cum per accidens etiam per alia sacramenta idem fiat, vt benè traditur per eundem Alf. vbi supra sub n. 80. & 81. & de hoc tetigi infra hac ea. par. cap. 7. n. 26.

Dixi maximè in iubileo extraordinario, quia in ordinario videtur diuersa ratio, cum duret per annum, vndè, saltem ratione temporis, si non ratione vltimi operis videtur alitèr dicendum. vide casum de quo infrà d. cap. 7. n. 35. 36. & 37.

Ad materiam confessionis informis vide eundem P. Auers. nouissimè tractantem, qui ponit octo Casus secundum D D. quibus Sacramentum Pœnitentiæ potest esse validum, & tamen informe, hoc est, esse sacramentũ, & tamen non producere effectũ, idest non conferre gratiam, nisi tamen fictione recedente, videlicèt adueniente dispositione, quę in actu susceptionis, defecit.

Quæ autem dispositio requiratur, dic quòd eadem, quæ in casu susceptionis sacramenti fuisset sufficiens ad effectum consequendi gratiam. vide eundem vbi supra d. q. 14. sect. 6. per totam, & sect. 7. vers. nunc circa.

85 Sed quid dicendum, si Pęnitens tempore iubilei confiteatur peccata sua Confessario socio criminis, an remaneat absolutus à peccato, quod cùm ipso commiserat, siuè illud specifice confiteatur, siuè ex obliuione, vel inaduertentia illud omittat?

Casus est valde disputabilis in loco, vbi adest prohibitio Episcopi, ne Confessarius culpæ socium, seù participem audiat in Confessione, vel absoluat, vt est Mediolani, & hic Arimini per Decretum Illustrissimi, & Reuerendissimi D. Angeli Cęsij Episcopi recol. mem. in eius Secunda Synodo tit. 10. post expositionem Casuum Reseruatorum cap. 4. per hæc verba. Qui criminis alicuius, culpævè lethalis socius, aut quoquo modo lethalitèr particeps fuerit sciat sibi interdictum munus audiendi eam confessionem, in qua pęnitens fatetur tale crimen, cuius Confessarius, vel socius, vel particeps fuerit modo dicto. Bonac. per longum discursum disputat hunc casum, ponit rationem dubitandi, quia videt esse inter casus reseruatos: sed tamen constantèr, & indubitantèr tenet partem negatiuam, quia cum reseruatio directè imponi soleat in pœnam peccati Pœnitentis, hæc prohibitio imposita est non solùm in pœnam pęnitentis, sed etiam directè in pęnam Confessarij complicis.

Item reseruatio importat obligationem se præsentandi corã Superiore legittimo habente facultatem absoluendi, hæc autem

prohi-

Digitized by Google

prohibitio non est talis naturæ, cum possit à quocumq; Confessario non complice talis Pœnitens audiri, & absolui, nisi alio respectu adesset reseruatio; Vnde concludit, quod talis Confessarius non potest virtute iubilei absoluere complicem, cum, quo ad hunc effectum, non censeatur approbatus ab Ordinario, & hoc valde placet. idem tenet P. Auers. post hæc scripta visus de Sacr. Pœnit. q. 17. sect. 6. vers. demum, qui innuit de tali prohibitione, etiam Bononiæ, & in quibusdam alijs locis.

Nec obstat, si dicatur, hunc casum poni inter Casus Reseruatos, saltem per identitatem rationis, ergo sicut à Casibus reseruatis Episcopo datur vigore iubilei facultas absoluendi, ità & ab hoc casu.

Quia Resp. negando poni inter Casus reseruatos hic Arimini, cum nota casuum reseruatorum sit rubricata numeris, inter quos non est hic casus. Item negando identitatē rationis, quia præter ea, quæ supra tetigi, dici etiam potest, quod alia videtur ratio specialis in hoc casu, quæ non est in alijs, & ratio est, quia ex DD. sententia Confessio sacramentalis, vt proficua sit, & Deo magis grata, cum rubore, & verecundia fieri debet, quod vix fieri potest si Penitens ad eũ accedat, quem socium criminis habuit, vel in eo aliquò modò participem, imò potius fit, vt tā malo exemplo ad eadem scelera replicanda incitetur, vt ex prohemio eiusdem cap. 4. Synod. Cōst. habetur; quod non fit in alijs casibus, vnde merito cum sit diuersa ratio, non debet habere locum eadem dispositio. l. fi. C. ad le. falc. cum simil. & ad satietatem, vide Bonac. vbi supra tòto n. 10.

86 Sed stantibus prædictis dubitari potest, quomodo prohibitio audiendi, vel absoluendi cōplicem intelligatur, an videlicèt de peccatis lethalibus tantum, & de quo genere peccatorum, & an pro omni tempore. Et breuitèr dic, de lethalibus tantùm, cum venialia stante, quod non sint materia necessaria Sacramenti pęnitentiæ, sed tantum sufficiens, reseruata non censeantur, vt notissimum est, præter quam quod in dicta Const. Synod. de mortalibus tantum agitur.

Quò verò ad genus peccatorum, dic, quòd non solùm peccata carnalia, sed etiam alia cuiuscunque generis, dummodo peruenerint ad lethalem culpā, vnde qui alteri dedit consilium occidendi, vel furandi, vel qui cum alio grauiter detraxit, vel pactum inijt patrandæ alicuius turpitudinis mortalitèr peccaminosę, non posset eum, cui cō-

silium

filium dedit, vel cum quo detraxit, vel pactum inijt, in confessione audire, aut absoluere, modo peccatum fuerit (vt dictum est) mortale, cuiuscunque sit speciei, vt in his terminis cõcludit idem Bonaci. vbi supra n. 11 & 12 & sic de alijs similibus exẽplis. Quæ intellige procedere quo ad eam confessionem, in qua Pęnitens debet aperire peccatũ cum ipso Confessario commissũ, vnde si quis alteri confiteatur dictum peccatum, poterit postea alias confessiones facere Confessario, qui alias fuit socius criminis, cum de tali crimine tunc nõ agatur. In summa non poterit audire in prima confessione tantum, vt optimè firmat idem Bonaci. vbi supra n. 13.

87 An autem in articulo mortis possit, Dic, quod sic, si alius Sacerdos non adsit, vt ibi n. 15. Et hæc omnia benè nota, quia pro nunc non reperio alium Doctorem casum hunc tangentem, cũ hoc habeat locum, vbi adest hęc prohibitio, quæ tamen expediens esset vbique locorum, licèt non sit præsumendum id esse necessarium, cum si aliquem dedecet, immemorem esse suę salutis, tanto magis Sacerdotem Confessarium, qui in hoc debet gerere vicem Christi, & procurare salutem aliorum.

88 Vnum tamen in hac materia addere iuuat, vt si detur casus, quod aliquis pęnitens, & maximè mulier reperiatur in aliquo loco, vbi non est alius Sacerdos Confessarius, quam qui fuit socius criminis, & sit in termino recipiendi sacramentum Eucharistiæ, aliàs immineret magnum periculum infamiæ, vel notabile scandalum, talis posset confiteri tali Sacerdoti socio criminis, & ab eo pro tunc absolui ad euitãdum scandalum, vel quodcunque inconueniens, quæ absolutio dicitur indirecta, cum onere tamen, vt se præsentet superiori, siue alteri Confessario non complici pro absolutione directa: in hac enim necessitate præsumitur consensus superioris adesse ad recipiendum sacramentũ pęnitentiæ cũ onere, vt supra. In tali enim necessitate licitum est, sacramentum Eucharistiæ recipere, vnde tanto magis sacramẽtum Pęnitentiæ, quod existenti in peccato mortali necessario præmittendum est communioni. Hic enim videntur adesse omnia requisita ad validitatem sacramenti Pęnitentiæ: adest enim Confessio integra; adest pęnitẽs sufficienter dispositus (vt suppono) & etiam Confessarius cum iurisdictione absoluendi sacramentalitèr, licèt quo ad casum prædictum solum sit ei interdicta, stante enim dicta necessitate, redditur pro tunc habilis ad id, vt euitetur scandalum, vt in simili

Digitized by Google

ſimili concluditur de habente caſum reſeruatum; imò (quod fortius eſt) de habente etiam cēſuram annexam, vt doctè de more tradit Bonac. de ſacram. diſp. 5. q. 7. punc. 5. §. 3. n. 8. contra nonnullos aliter ſentientes ſaltem quando adeſſet cenſura.

Quod eſt valde notandum etiam pro caſibus interdum occurrentibus in hac Ariminenſi Diœceſi de ſponſis per verba de futuro, qui per actum aliquem turpē qui culpa mortali nō careat, ante contractum per verba de præſenti incurrunt excommunicationem Epiſcopo reſeruatam, vt per Synod. Conſt. primæ, & ſecundæ Synodi recol. mem. Angeli Ceſij Epiſcopi Arimini clarè habemus: Nam ſæpe de mane, quando ſunt accincti ad contrahendum matrimonium in Eccleſia cum commitatu conſanguineorum, & apparatu ad alia in ſimilibus peragēda accedunt ad Parochum pro reconciliatione, & confitentur tale peccatum, vnde ſi non abſoluerentur, eſſet maximum ſcandalum; tunc enim ſi non poteſt conſuli Superior, poterunt cōfiteri proprio Sacerdoti, etiam facultatem ſuper hoc non habenti, & ab eo abſolui, directè quidem quo ad omnia alia peccata, indirectè autem quo ad reſeruatum, cum onere tamē ſe pręſentandi, &c. vt directè abſoluantur, &c. prout ex ibi dictis & nu. etiām præcedd. vbi etiam vide obiectiones, & reſponſiones ad difficultates in præſenti materia factas, in qua pro nunc nō inſiſto, quia tēpore iubilei de auctoritate Confeſſarij non eſt ambigendum.

89 Sed quid, ſi tales pœnitentes non habent, niſi caſum reſeruatum, vtrum poſſint abſolui tantùm ab eo; ſiquidem abſolutio indirecta videtur tanquam acceſſorium abſolutionis directæ, qua non data, non videtur habere locum indirecta tanquam acceſſoria. Et quidem credo nō poſſe dari, niſi ſaltem aliquod peccatum veniale confiteantur, vt ſuper eo cadat directa abſolutio, & conſequenter ſuper reſeruato indirecta, & cum onere, vt ſupra, quia (vt in term. dicit Bonac.) licèt veniale non ſit materia neceſſaria per ſe, & de ſui natura Sacramenti Pęnitentiæ, eſt tamen ſufficiens, & per accidens etiam neceſſaria, vt ſuper ea cadat directa abſolutio ſacramentalis, per quam Pęnitens recipiat gratiam, & conſequentèr, & indirectè remaneat abſolutus etiam à reſeruato, cum onere tamen ſe præſentandi, &c. quod propoſitum etiam debet habere pęnitens, vt ipſe tradit de Sacramen. diſp. 4. q. 6. punc. 1. ſub n. 31. poſt Suarez, & alios, quos allegat.

Et quod dico de venialibus, idem

Digitized by Google

idem puto de mortalibus aliàs confessis, & absolutis, cùm in ijs etiam sit eadem ratio, vt supra par. 3. cap. 5. n. 15. & sic eadem dispositio. vulg. iur. Quod bene no. tu Sacerdos, qui absoluere debes.

Adde etiam alium casum, quo per accidens veniale peccatum est materia necessaria, puta si quis dubitet de peccato mortali, quod vtique quis confiteri debet; & non habeat aliam materiam certam, tunc enim, ne se exponat periculo faciendi irritum sacramentum, debebit prębere ex peccatis venialibus aliquam certam materiam. ita Auersf. de sacr. pęnit. q. 10. sect. 2. vers. aliqui in fi.

90 Quæri item potest, qua forma vti debeat Confessarius tempore iubilei in absolutione à peccatis, vel concessione, seù communicatione indulgentiæ. Dic breuitèr, non debere vti alia forma, quam ordinaria, de qua in Rituali Romano, & est hæc.

Misereatur tui, &c. Indulgentiam, &c. D. N. I. C. te absoluat, &c. vide supra hoc eo. cap. 5. n. 47. & 48. ac 50. & 51.

91 Nec debet se ingerere in alijs circa Indulgentiam plenissimam quia talis indulgentia non est (vt aiunt) in forma commissaria, sed gratiosa; nam ex quo quis adimplet adimplenda, statim ipso iure in adimplemento vltimi operis aquirit indulgentiam plenissimam, vt dixi supra par. 3. cap. 6. n. 5. quæ non indiget ministerio Confessarij, cũ ipso facto aquiratur.

Ingerere tamen se potest, & debet in impositione pęnitentiæ salutaris, maximè si pęnitens egeat pęnitentia aliqua præseruatiua, vel medicinali, vt dicitur supra par. 3. cap. 5. n. 28.

Qua occasiione quid dicendũ de verbis illis, quæ Confessarius post absolutionem addere solet, videlicet Passio D. N. I. Christi, & merita Beatę M. V. &c. & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionẽ peccatorum, in augumentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ? Nunquid hæc omnia habent vim iniunctionis pęnitentiæ sacramentalis? Aliqui tenent affirmatiuam; aliqui negatiuam; sed pro resolutione puto tenendum, verba illa habere vim solum piæ deprecationis, non autem sacramentalis satisfactionis, vt optimè de more discutit hanc materiam, & resoluit P. Auersf. de sacram. pęnit. q. 13. sect. 7. vbi tamen cõcludit, quod Confessarius potest applicare pro sacramentali satisfactione aliqua bona opera eò die, vel aliò à Pęnitente facienda, & hoc ante absolutionem, ita vt etiam pęnitens eorundem applicationem acceptet, quia habebit vim sacra-

Digitized by Google

ſacramentalis ſatisfactionis ex hac ſpeciali applicatione; quod benè no. maximè contra illos Confeſſarios, qui non obſtante, quod aliqui pęnitētes in hoc prouocent, tamen nolunt aliquid aliud applicare, nec imponere, niſi vnum Miſerere, vel quid ſimile ab eis iniunctum, nam ſi libenter is acceptat pęnitentias, quare non promptè per Confeſſarium imponuntur? Quod dico, citra immoderatas pęnitentias intendo. Quare ſint prudētes, &c.

Ad Quartum Principale eiuſdem Cap. V.

SVMMARIVM.

Votorum materia quò ad commutationem eſt ſatis intricata, n. 91.

Votum quid ſit, n. 93. Declaratur, n. ſeqq.

Quid differat inter votum, & propoſitum, n. 94.

An in voto ſufficiat promiſſio interior, & implicita, n. 95.

Requiritur in voto libera voluntas, n. 96 & deliberatio, & perfecta animaduerſio, n. 97.

Quid ſi dubitetur de ſufficienti deliberatione, ibidem remiſſiuè.

Promiſſio facta Confeſſario de relinquendo peccato an habeat vim voti, n. 98.

Quid de promiſſione in Baptiſmo, ibid.

In voto promiſſio fit Deo, & quomodo hoc intelligatur, n. 99.

Et quomodo intelligendum, vota fieri Sanctis, ibidem.

Vtrum fieri debeat de bono meliori, & quomodo intelligatur, n. 100. & ſub 106. & n. 107.

De validitate voti, & quomodo explicandum, quando non conſtat de intentione vouētis, d. n. 100. remiſſiuè.

Votum quotuplex, n. 101.

Votorum commutatio ſi expreſſè non cōcedatur, an intelligatur cōceſſa, n. 102

Quibus, & quot modis tollatur obligatio voti, n. 103.

Quid ſit irritatio voti, quid commutatio; & quid diſpenſatio, n. 104.

Qui poteſt diſpenſare in voto, an poſſit commutare, & econtra, n. 105.

An vouens ipſe ſuo iure commutare poſſit vota à ſe facta, n. 106. 107. 108. & 109.

Votum factum intuitu Eccleſiæ, vel loci pij, vel pauperis alicuius an poſſit cōmutari, n. 108. & ſeq. vbi in fine, quid de Epiſcopo.

Vouens facere eleemoſinam pauperi, an ſibi retinere poſſit tanquam pauperi, n. 110.

Confeſſarius electus tempore iubilei an omnia vota commutare poſſit, n. 111.

An facultas commutandi vota trahatur etiam ad vota facta poſt Bullam iubilei, n. 112.

An commutatio, quæ fit per Confeſſariū fieri poſſit etiā extra Cōfeſſionē, n. 113

An commutatio voti fieri debeat in ęquale, vel fieri poſſit etiam in minus, n. 114. & 115. in fi.

An ſi fiat in minus, requiratur iuſta cauſa, ibidem.

Confeſſarij Ordinis Minorum, & alij, quibus cōmunicata eſt eadem facultas poſſunt diſpenſare in votis, nonnullis tamen exceptis, n. 115.

& ſic in commutatione poterunt partim diſpenſando partim commutando commutationem facere etiam in lon-

Ad quartum Principale, & vltimum, videlicèt.

92 Cuius auctoritatis sit Confessarius electus tempore iubilei quo ad commutationem votorum. Et antequàm ingrediar hanc materiam, quę satis intricata reperitur, ad maiorem legentium intelligentiam, & maximè rudium, præmittendum puto.

93 Primo, quid sit Votum, & quotuplex.

Et dico, Votum esse voluntariam,

tariam, & deliberatam promissionem factam Deo de aliquo bono meliori. ità communitèr DD. teste Bonaci, de præcept. Decal. disp. 4. q. 2. de voto. punc. 1. n. 1.

94 Dixi promissionem, quoniam ad votum non sufficit propositum, nam votum inducit obligationem: propositum autem minimè; vndè qui propositum non seruat, non dicitur committere mendacium, cum natura simplicis propositi variabilis sit, siquidem sapientis est mutare consilium, seù propositum. idē Bonac. vbi supra n. 2. & de obligatione voti vide latè eundem d. q. 2. punc. 5. §. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. & est de mente Nau. in man. cap. 22. sub n. 24.

95 An autem in voto sufficiat promissio interior, & mentalis tantum, Dic, quod sic, cum Deus intueatur cor. idem vbi supra.

Sufficit etiam implicita promissio, vt est in suscipiente Ordines Sacros. ibidem.

96 Dixi etiam voluntariam promissionem, quia si libera voluntas non adsit in vouente, non erit votum. vide eundem vbi supra n. 6. & 7.

97 Dixi quoque deliberatam promissionem, quia requiritur ad votum deliberatio, & perfecta animaduersio eius, quod fit, seù promittitur. vide latè eundem Bonac. d. punc. 1. n. 3. vbi etiam videre poteris, quid in casu, quo dubitetur de sufficienti deliberatione.

98 Ex quibus sequitur, ex voto facto absque animo vouendi, seù promittendi, non oriri obligationem, quia illud propriè non est votum. Vndè qui promittit Confessario se derelicturum peccatum, non tenetur vi voti peccatum derelinquere, quia illa fuit quædam manifestatio propositi relinquendi peccatum in futurum, prout etiam dicitur de Baptismo; nam Baptizatus non vtitur verbo aliquo, quod habeat vim promissionis, vel voti, sed tantùm abrenuntio, volo, & simili, quæ denotant propositum tantum. ità per eundem Bonac. post Sot. Caiet. Azor. & alios, quos ref. & seq. d. punc. 1. n. 11. & Nau. vbi supra sub n. 24.

99 Dixi promissionem factam Deo, quia cum Votum sit actus religionis, quæ respicit Deum, illi soli fieri potest mediatè, vel immediatè; tacitè, vel expressè: vndè vota, quæ fiunt Sanctis, possunt etiam dici ipsis fieri tùm quatenus in ipsis Deus honoratur, tùm quatenus fiunt coram ipsis tanquam testibus ad maiorem reuerentiam; aut tanquam intercessoribus ad consequendū id, propter quod vota emittuntur. Vel etiam dici potest, vo-

X ta fieri

ta fieri Sanctis, quia fiunt Deo in Sanctis, ideſt vouemus Deo, nos facturos illud, quod Sanctis promittimus. idem Bonac. vbi ſupra n. 17. vbi idem dicit de voto facto Epiſcopo, vel alteri Prelato. Et Nau. vbi ſupra n. 25.

Et licèt multi in actu voti nec intelligant, nec intendant, vt ſupra dictum eſt, tamen eorum intentio piè explicanda eſt, prout Sancta Eccleſia docet, & intendit, vt per eundem Bonac. ibi ſubditur, quod eſt valde notandum.

100 Tandem in definitione dixi, de bono meliori, vt explicetur natura voti, quod non obligat, niſi eius materia bona ſit, & honeſta: omnis enim promiſſio à nobis fit, vt alteri gratificemur, quod non fit, niſi per aliquod bonum, & illi gratum: & no. particulam illam (meliori) quæ non intelligitur de optimo, ſed comparatiuè ad oppoſitum, ità vt ſit melius, quàm oppoſitum eius: vt eſt v. g. de ieiunio, nam melius eſt ieiunare, quàm non ieiunare: melius eſt facere eleemoſinam, quam non facere. ad trad. per eund. Bonac. vbi ſupra d. p. 1. n. 18. 20. 21. & ſeqq. vbi exempla ad materiam. Vnde ſequitur, quod votum etiam ꝙ fiat de re bona, & digna, quod voueatur, ſi tamen ſit eiuſmodi naturę, vt de ſe aliud maius bonum excludat, non ſit validum. vt ex trad. per Nau. in man. cap. 22. n. 53.

Et de validitate voti reſpectu materiæ, vide latè tradita per eundem Bonac. d. q. 2. p. 4. §. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.

Et quomodo ſit explicandum votum, maximè quando non conſtat de intentione Vouentis, vide eundem Bonaci. d. q. 2. punc. 6. per totum.

101 Quotuplex autem ſit Votum, dic, quod multiplex, videlicèt.

Aliud reale, aliud perſonale, aliud mixtum.

Aliud temporale, aliud perpetuum.

Aliud commune, aliud particulare.

Aliud expreſſum, aliud tacitum.

Aliud ſimplex, aliud ſolemne.

Aliud reſeruatum, aliud non.

Aliud conditionale, aliud abſolutum.

Aliud pœnale, aliud non pęnale.

Vide per te eundem Bonaci. vbi ſupra punc. 2. in princ.

102 Præmittendum etiam puto, votorum commutationem, niſi expreſsè concedatur, non intelligi conceſſam, vt per trad. ab Alf. de leo. de pote. Confeſ. &c. par. 2. q. 12. n. 61.

103 Item præmitto videndum, quibus modis tollatur obligatio voti, & dico, quod ſex modis.

Primo tollitur ceſſante cauſa finali

finali, propter quam factum est votum. vide Bonac. d. disp. 4. q. 2. punc. 7. §. 1. n. 1.

Secundò, quoties superuenit notabilis mutatio, & difficultas, quæ si præuisa fuisset, votum iudicio prudentis factum non fuisset. vide eundem ibidem n. 2. vbi vide etiam rationem, & quomodo hoc intelligatur.

Tertiò obligatio voti tollitur, vel suspenditur; quoties tempore adimpletionis voti materia voti facta est illicita, aut impeditiua maioris boni, aut indifferens. ibidem n. 5. & no. ibi eius doctrinam vsque ad fi. d. §. 1.

Quartò tollitur irritatione ad trad. per eundem vbi supra §. 2. per totum.

Quintò dispensatione ad trad. abundanter per eundem vbi supra §. 4. per totum.

Sextò tollitur commutatione vt per eundem, vbi supra §. 3. per totum, & de hac agendum erit in presenti, cum per iubileum expresse detur facultas Confessario commutandi.

104 Item præmitto, quod irritatio est annullatio voti, seù eius obligationis; nam aufertur obligatio, vel interdum suspenditur, quamuis hæc non sit propriè irritatio.

Dispensatio autem aufert omnem obligationem, sed requirit causam, & pertinet ad potestatem spiritualem, cum tamen irritatio pertineat ad potestatē dominatiuam, & nullam requirat causam.

Commutatio autem non aufert simplicitèr obligationem, sed vna substituitur loco alterius ad trad. per eundem Bonac. d. punc. 7. §. 4. n. 1.

An autem requirat causam, tangitur infra hoc eo. cap. sub n. 115.

Definiri autem potest, vt sit subrogatio obligationis ad aliquid loco prioris obligationis, vt ex trad. vbi supra, & §. 3. n. 1.

105 Et no. pro solidiori intelligentia materiæ, quod qui potestatem habet dispensandi, potest etiam commutare, cum dispensatio sit quid maius commutatione: non autem è contra, cum qui potestatem habet commutandi, non possit dispensare. Bonac. d. punc. 7. §. 3. n. 10. & §. 4. n. 30. Quæ tamen opinio est contra Nau. licet Bonac. alleget eum pro se; nam Nau. tenet, eum, qui potest dispensare, non posse commutare, vt tradit in man. cap. 12. sub n. 79. licet Bonac. alleget n. 78. in quo nihil de hoc: sed meo iudicio possunt reduci ad concordiam, vt Nau. opinio locum habeat in delegato, vz. quādo ei delegatur facultas dispensandi, vt eo casu non possit commutare; secus si eam aquisiuit iure communi, & tanquam ordinarius, eo enim casu

Digitized by Google

casu semper qui potest maius, potest etiam minus. iux. Bonac. & etiam ex dictis Nau. elicitur, & ex doctri. Sanchez mox allegandi; Vnde in casu nostro, quia competit iure delegato, & ex priuilegio ex vi iubilei, conclusio esset contra Bonac. si daretur tantùm facultas dispensandi. Hoc tamen non videtur præsentis speculationis, quia clarum est, per Bullam dari facultatem tantum commutandi.

An autem generalitèr qui potest dispensare, possit commutare, hæc est quæstio ex abundanti hic. vide etiam Sylu. ver. votum. 4. nu. 3. qui ante Bonac. tenuit idem, quod Bonac. indistinctè. Opinio tamen Nau. nō displicet maximè quia eam sequitur Sanchez de matr. lib. 8. disp. 2. n. 14. & 15. cui omninò adhereo per rationes ibi positas, quæ sunt irrefragabiles, vbi etiam elicitur pręmissa distinctio

106 Quæritur nunc primo, vtrum ipsemet Vouens possit aliqua vota cōmutare iure proprio, quia si potest, non erit, cur quærat commutationem à Confessario.

Resp. aut commutatio fit in euidentèr melius, & tunc potest.

Aut in minus, & non potest.

Aut in æquale, & in hoc est dubium. probabilitèr tamen sustineri potest pars affirmatiua, si in euidentèr æquale commutetur: aliàs si dubitatur, an sit æquale, commutatio iure propriò fieri non potest. Hæc habentur ex tradit. per eundem Bonac. de Voto. d. q. 2. punc. 7. §. 3. n. 3. & 8.

Et aduerte, quod commutare in melius intelligitur, si fiat in rem magis gratam Deo, omnibus consideratis, vt ibidem nu. 4.

107 Sed quæri potest, nunquid hoc locum habeat etiam in voto facto ītuitu alicuius loci pij, puta quis fecit votum aliquod reale, hoc est, promisit dare aliquid tali Ecclesiæ, vel loco pio, nunquid mutata voluntate possit illud dare alij Ecclesię, vel pio loco. Dic, quod sic, si detur aliquid melius in commodum alterius Ecclesiæ, quia hoc euidenter est gratius Deo, ita Bonaci. vbi supra n. 5. in quo no. verba illa (aliquid melius) nam æquale non videtur gratius Deo, nisi fortè alia concurrant, puta si Ecclesia secunda esset pauperior. arg. eorū quæ dicit ibidem n. 6. & tangitur infra n. seq.

108 Conclusio tamen prædicta locum habet, quando votum nō fuit acceptatum, quia eo casu non potest propria auctoritate commutari. ita concludit idem Bonac. ibi. d. n. 5.

Et no. verba illa (propria auctoritate) quia fortè argui potest secus, si auctoritate Episcopi, seu alterius Superioris. Sed in

hoc dic,

Digitized by Google

hoc dic, vt infra n. seq. in fine.

109 Sed quid, si pauperi tali quis vouit facere eleemosinam, nunquid commutari potest propria auctoritate, & dari alteri pauperi? & dic, quod sic, si re vera sit pauperior, & cętera sint paria, quia cęteris paribus melius est dare eleemosinam pauperiori. tradit Idem ibidem n. 6.

Intellige paritèr hoc, nisi per primum pauperem fuerit acceptata promissio. ibidem. Et no. quod nec etiam Episcopus suo iure potest commutare votum factum ad fauorem tertij, si ab eo sit acceptatum, quia praeiudicaret iuri quaesito ipsi tertio, vel Ecclesiae. ad trad. per eundem d. p. 7. §. 4. n. 25.

110 Sed quid de eo, qui vouit facere pauperi eleemosinam, nunquid sibi tanquam pauperi retinere possit? Dic, quod non per rationes, de quibus ibi per eundem Bonac. n. 6. vide per te, cum non sit omninò materia pręsentis inspectionis.

Et hactenus de commutatione iure proprio.

111 Nunc quaeri potest, an virtute iubilei Confessarius electus possit commutare omnia vota. Resp. quod vota reseruata Papae commutare non potest, nisi quatenus eidem per Bullam, & de iure conceditur.

Et quia in textu eiusdem datur facultas omnium votorum, exceptis duobus, videlicèt Castitatis, & Religionis, vt in Bulla. §. quae omnia. ibi. & insuper vota, &c. Sequitur, vt super omnibus alijs votis etiam reseruatis Papae facultatem habeat commutandi; aliàs si mentio non fieret, prout fit, saltem per exceptionem, quae semper est de regula, vt notissimum est, non intelligeretur, nisi de votis reseruatis Episcopo. tradit Bonac. d. q. 2. p. 7. §. 3. n. 13.

Quae autem sint vota reseruata Papae, & quae Episcopis, vide infra n. 128. & seqq.

112 Item quaeritur, an facultas data per Bullam S. D. N. Innocentij x. trahatur etiam ad vota facta post Bullam? Et dic, quod sic, vt in term. idem Bonac. vbi supra n. 12. vbi vide rationes per te, ne sim nimis prolixus.

113 Sed vtrum talis commutatio per Confessarium fieri possit etiam extra Confessionem?

Casus videtur disputabilis per verba Bullae, quae immediatè sequuntur post concessionem facultatis ibi. iniuncta tamen eisdem, &c. prout tetigi supra, vbi de absolutione à censuris, & peccatis, &c. ex quibus verbis arguitur pro negatiua.

Ego tamen hoc non obstante, semper tenerem opinionem affirmatiuam, quia cum Poenitẽs possit vni Confessario confiteri peccata, & ab altero, qui tamen

sit ex

fit ex approbatis ab Ordinario, petere commutationem votorũ; vt tradit Sanchez in Decal. lib. 4. cap. 54. nu. 17. & 32. & P. Nald. in ver. Indulgentia. n. 9. sequitur, vt etiam extra Confessionem fieri hæc commutatio possit, quam conclusionem nouissimè Bonaci. absolutè sequitur d. punc. 7. §. 3. n. 16. per rationes ibi allatas: & præcipuè quia commutatio voti non est materia necessaria sacramenti pęnitentiæ. vide ibi vbi disputat casum hunc in terminis.

Nec obstat, quod innuitur de peccatis, & censuris, quia in his est omninò diuersa ratio: verba enim illa (iniuncta eisdem pęnitentia salutari) in fine posita, non referuntur ad omnia præcedentia, sed tantum ad ea, in quibus est eadem ratio ad trad. per Gabr. com. concl. lib. 6. de clauf. concl. 9. n. 3. vnde non possunt verificari in commutatione votorum, in quibus non est eadem ratio, quę in peccatis, & censuris, saltem quatenus annexæ sunt peccatis, & quatenus tolluntur vna cum remissione peccatorum, vt alibi tetigi.

Hanc affirmatiuam sententiam tenet etiam Alf. de leo. par. 2. q. 12. n. 78. post Homob. & Santarell. per eum allegatos, & ante eos doctissimus Sanchez de matr. lib. 8. disp. 15. n. 25.

114 Sed vtrum commutatio per Confessariũ fieri debeat in opus æquale, vel etiam fieri possit in minus. Et dic sufficere, si fiat in minus, iuxta trad. per Bonac. d. punc. 7. §. 3. n. 11. vbi subdit, requiri tamen iustam causam, quando commutatur in minus, vt est difficultas in voto persoluendo, vtilitas vouentis, repugnantia parentum, vel mariti. Alf. autem dicit, in paulò minus d. par. 2. n. 64. Ex his sequitur, quod si sine causa iusta id fiat, nulla, & inualida est commutatio, vt ibi subditur per eundem Bonac. in fi. d. n. 11.

115 Benè verum est, quod cum Confessarij Ordinis Minorum habeant facultatem dispensandi in votis, exceptis reseruatis Papę, & peregrinationis vltra duas dietas, idest quadraginta milliaria, vt per Nau. in man. cap. 12. sub n. 79. vbi extendit ad Dominicanos, & alios, qui priuilegiorum ordinis S. Francisci sunt participes, & Bonac. d. q. 2. punc. 7. §. 4. sub n. 26. poterunt cum suis Pęnitentibus tempore iubilei vti ad arbitrium facultate commutandi etiam in longe minus partim dispensando, & partim commutando, & traditur pro cautela, vt tempore iubilei petãtur Regulares approbati, vt per eundem Alf. d. par. 2. q. 12. n. 66. Sed ego credo, quod ista cautela non sit necessa-

cessaria cũ quilibet Confessarius approbatus ex causa possit commutare in minus tempore iubilei per trad. supra. Puto tamen bonam Cautelam, si commutatio fieri debeat in longe minus, stantibus trad. per Alf. vbi supra. Et dixi iustam causam requiri, si commutetur in minus, quia si in æquale, nulla causa requiritur, sed fieri potest ad petitionem vouentis, vt ex trad. per DD. relatos, & præcipuè Alf. d. q. 12. n. 63.

116 Quæri etiam potest, an qui tempore iubilei oblitus fuit voti alicuius, vel non curauit commutari vota, possit transacto iubilei tempore, voti commutationem petere ab eo, qui extra iubilei tempus nullam habet facultatem. Et dic absolutè non posse.

Nec est par ratio in commutatione Votorum, quæ in generali absolutione peccatorum, & censurarum. Vide Bonac. optimè differentem de hac materia etiam per longum discursum, qui tandem concludit negatiuè d. q. 2. §. 3. n. 14. contra Henriq. Clau. Reg. Eman. Sà, & alios ibi relatos.

117 Subdit tamen duo valdè notanda, Vnum est, quod Confessarius electus tempore iubilei potest validè commutare vota illius, qui expressè non meminit numerum votorum, sed solùm recordatur, vota esse talis obiecti, puta si recordetur, multa vota emisisse visitandi Ecclesias, vel faciendi eleemosinas, vel quid simile.

Sed quia commutatio vt fiat in æquale, requirit completam cognitionem voti, & si fiat in minus, idem, & etiam iustam causam, aliàs commutatio non esset prudens, & iusta, non cognito explicitè voto; ideò poterit commutare omnia vota, intendens in id, quod posteà ipsemet, vel prudens vir, consideratis maturè considerandis iudicauerit; talis enim commutatio non repugnat iuri Commutantis, qui ex nunc commutat, reseruata tamen declaratione in tempus magis opportunũ; nec naturæ ipsius commutationis, siquidem reseruat sibi ius explicitè cognoscendi, & maturè declarandi opus, in quod cõmutatio fieri debeat. vide ibi sub dicto n. 14.

Et inhis terminis ego puto posse procedere tradita per Alf. de leo. d. q. 12. n. 67. vbi tamen loquitur generalitèr; quam generalitatem non approbo, nisi restrictam ad casum, de quo hic, aliàs non seruaretur æqualitas, de qua loquitur Suarez ibi allegatus, quicquid ipse Alf. in contrarium ibi innuat. Nec ampliatio Sanchez ibi allegati per Alf. in fi. nu. 67. mihi placet, vide-

Digitized by Google

videlicèt in eo, qui ſcit emiſiſſe Votum, ſed non recordatur operis voto promiſſi; non placet (inquam) niſi in terminis huius caſus per Bonac. relati, quia ſi recordatur, Confeſſarius, qui reſeruauit ſibi cognitionem, tũc poterit iudicare, in quod opus commutet, aliàs vouens ad nihil tenetur, dum non recordatur: nam non cognito completè de voto, eſſet quid temerarium imponere ex capite aliquid perſoluendum, quod vel magis, vel minus eſſe poſſet opere ex voto promiſſo; Confeſſarius enim gerit vicem Iudicis, qui debet sẽper iudicare ſecundum allegata, & probata, vt notiſſimun eſt.

118 Alterum eſt, de quo ſub dicto n. 14. vt ſi nolit commutationem petenti concedere tempore iubilei, eo quia velit attentius conſiderare qualitatem cauſæ, vel modum, poſſit tranſacto iubileo commutationem concedere, quia tempore habili incohauit cauſam, quod ſufficit ad firmandam iuriſdictionem, vt poſſit poſtea data opportunitate cauſam abſoluere, & hoc ipſe concedit iuxta probabilem aliquorum ſententiam, vt ipſe dicit. Quod ego intelligo, ſi Cõfeſſarius habuit animum poſteà commutandi conſideratis conſiderandis, quia ſi noluit ſe ingerere in talibus votis eo quia Vouens non clarè loquebatur, vel alia de cauſa, & conſequentèr à principio implicitè ſaltem abdicauit à ſe omnem facultatẽ, non credo, quod dici poſſit cauſam incohaſſe, cum actus agentium non operentur vltra eorũ intentionem: vulg. iur. Primus tamen modus magis placet, & eſt tutior, ſi benè conſideretur.

119 Adde tamen fieri poſſe commutationem, vt ſupra immediatè in ſecundo caſu etiam tranſacto iubilei tempore, dummodo ille, qui vouerat, conſecutus ſit iubileum, aliàs ſi iubileum non eſt lucratus, priuilegium ei non competit, vt ſibi fiat commutatio poſtea, vt ibi ſubdit idem Bonac. in fi. d. n. 14. & vide, quæ dixi infra n. 124. ne Bonac. dicatur ſibi contrarius.

120 Item quæri poteſt, an qui obtinuit commutationem voti, poſſit pœnitere, & adimplere votum à ſe factum, omiſſa commutatione. Et dic, quod ſic, & ſatisfacit adimplẽdo votum, quia commutatio eſt ex priuilegio, & reſpicit fauorem vouentis, ipſe autem poteſt renunciare fauori ſuo. ità ex Bonac. de voto diſp. 4. q. 2. punc. 7. §. 3. n. 20. licèt Sanchez, & Reginal. vt ibi Bonac. ſubdit, teneant hoc eſſe verum, quando votum eſt commutatum in æquale, vel in minus, non quando in maius; quorum ſententia meo iudicio non eſt reijcienda, & puto tutiorem, quam

quam simplicitèr tenere conclusionem cum Bonaci. & ratio esse potest, quia cum in minus nemo possit iure proprio sua vota commutare, vt supra eo: n. 106. sequitur, quod si iste posset recedere à commutatione iam acceptata in maius, rediret ad minus suo arbitrio, quod non est concedendum.

Et si obijciatur, obligationẽ Voti tanquam semel extinctam non reuiuiscere, responderi poterit obligationem voti non esse absolutè extinctam, sed sub conditione, vt scilicèt vouens seruet prius votum, vel seruet id, in q fuit commutatum, vt per eundem Bonac. sub eo. n. 20. in fi. quod est idem, quod dicere, seruet Votum factum, si non vult seruare commutatum.

121 Sed quid, si is, qui obtinuit commutationem Voti, ratificet ipsum votum. Dic, quod cum censeatur recedere à commutatione, tenebitur seruare primum votum, prout etiam, si iterum vouit materiam primi voti, vel si obtenta commutatione in minus, decreuit ea non vti, illiq; cessit animo adimplendi primũ votum. in his enim tribus casibus tenetur ad primum votum. ad trad. per eundem Bonac. d. §. 3. n. 21. & 22.

122 Sed adhuc dubitari potest in secundo casu ex tribus prædictis, vtrum teneatur etiam eo casu ad seruandum id, in quod cõmutatum fuit: & dico vtrunque seruandum, quia est emissio voti post commutationem, ideò commutatum debet adimplere iuxtà modum, & tenorem commutationis, & materiam etiam primi voti, quia est nouũ votum emissum, vt dictum est, quod bene nota, ne tibi uideatur Bonac. sibi contradicere, & uide eundem ubi supra n. 23. ubi declarat hoc procedere, si uouens habuit animum ligandi se iterum primo uoti uinculo, quia est nouum uotum, vt dictum est: secus si non habuit talem animum, sed solùm accedendi ad primum relicta cõmutatione, quia tenebitur solũ obligatione primi voti, vide ibi. vbi in fine dicit, si de intentione dubitetur, tenebitur ad utrumq;

123 Sed vtrum votum possit pluries commutari. Resp. affirmatiuè, cum facultas commutandi non sit limitata ad vnam vicem tantum. Bonac. d. §. 3. n. 19. quod ego puto procedere durãte tempore iubilei, quo tempore primus Confessarius, vel etiã alius electus poterit variare cõmutationem, seruatis tamen seruandis, vel expectare nouum iubileum. & idem dico, si facultas competat commutandi etiam extra tempus iubilei per identitatem rationis. Et licet in Bulla habeantur verba illa (hac vice dumtaxat) videlicet in §. quę

omnia,

Digitized by Google

omnia, in fi. tamen id non obstat, quia præterquã quod verba illa respiciunt absolutionem, & non votorum commutationẽ, vt intuenti patet, dici etiam potest, illa intelligi hac vice dumtaxat, idest hac occasione, & hebdomada huius iubilei tantum, vt tangitur supra hac ead. par. cap. 1. sub n. 15.

Et quod opus alias commutatum possit denuo commutari, tradit expresse Alf. d. par. 2. q. 12. n. 73. nam subrogatum sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur, vt ibi subdit post alios DD. quos allegat.

124 Sed valde dubitari potest, an vota commutata tempore iubilei reuiuiscant, si vouens cætera non prestet necessaria ad cõsecutionem iubilei. Bonac. vbi supra d. §. 3. n. 18. respondet negatiuè, at ampliat etiam si Confessarius commutauerit, remittens se ad opera subroganda ad tempus post expletum iubileum ut de hac ampliatione tetigi supra n. 117. 118. & 119. ubi in fi. d. n. 119. innui Bonac. uideri sibi contrarium per ea, quæ dicit ea. q. 2. §. 3. n. 14. in fi. Sed tamen saluari potest eius dictum si dicamus, uerba illa (modò consecutus sit iubileum) referri ad casum proximum de quo egi supra n. 118. non ad alium præcedentem, de quo paritèr suprà n. 117. qui, si bene aduertatur, sunt ualdè diuersi inter se, cum in primo; de quo ego. nu. 117. ex nunc fiat commutatio; in secundo autem, uidelicèt n. 118. non, sed differatur, unde non mirum si hoc casu reuiuiscit primum uotum, dum uouens non consequitur iubileum, quia res deuenit ad casum, à quo incipere non potest: imò fortiùs dico, non solùm reuiuiscere Votum, sed potiùs nunquam censeri extinctum, stante quod commutatio reseruata fuerit in tempus extra iubileum, in quo cum non adsit calor iubilei, nec facultas suppetit ad commutandum.

125 Supradictam autem conclusionem negatiuam puto habere locum, dummodo Confessarius commutans habuerit intentionẽ saltem implicitam commutandi absolutè, & simplicitèr, quia si commutasset sub conditione, uidelicèt dummodo adimpleas omnia adimplenda, & effectiuè consequaris iubileum (quod credo fieri posse, & reperio etiam Alf. hoc in term. concludentem d. par. 2. q. 12. n. 76.) non est dubium, an reuiuiscat uotum, quia stante non adimplemento conditionis, uotum non censetur extinctum per commutationem ex defectu conditionis. ut l. cui fundus. ff. de cond. & dem.

126 Sed quid dicendum de illo, qui commutationem obtinuit iuxta determinationem faciendam,

dam, vt supra n. 117. & 118. an ante determinationem possit frangere votum, seù non adimplere, quod debet.

Et distingue, aut votum ex nunc cõmutatum est in aliquod opus à Confessario, vel alio declarandum iuxta trad. supra d. n. 117.

Aut non est facta commutatio ex nunc, sed tantum reseruata commutatio, seù ius commutandi in tempus opportunum, vt consideratis considerandis fieri potest, vt supra n. 118.

Primo casu non dicitur fractor Voti: Secundo autem secus, & peccat contra votum, quia commutatio re ipsa facta non est, vnde adhuc durat obligatio voti. tradit idem Bonac. d. disp. 4. q. 2. punc. 7. §. 3. n. 15. & latè, & doctè ante eum quo ad primum casum Sanchez de Matrim. lib. 8. disp. 15. nu. 15.

127 Sed quia in Bulla habentur hæc verba (Religionis, & Castitatis votis tantummodo exceptis) quæri potest, an dicta verba intelligenda sint generalitèr, & absolutè, ità vt nullo casu vota Castitatis, & Religionis commutari possint virtute iubilei. Et dico non posse commutari ea tantùm vota Castitatis, & Religionis, quæ sunt reseruata Summo Pontifici: Ea verò, quæ non sunt talitèr reseruata, sed solùm Episcopis, videlicèt iure ordinario, vt infra dicetur, commutari possunt. ità Bonac. d. §. 3. n. 17. post Suarez, & Sanchez, & alios ibi relatos.

128 Quæ autem sint Vota reseruata Papæ, & quæ Episcopis in materia castitatis, & Religionis dic, quod Papæ reseruata sunt vota perpetuæ castitatis, & religionis approbatæ.

Præter hæc etiam alia tria, videlicet peregrinationis ad limina Apostolorum. Votum ad S. Iacobum Compostellanum; & etiam votum in Terram Sancti. vt expresśè habetur in extrau. etsi dominici. la 2. de penit. & remiss. & Nau. in man. cap. 27. n. 105. qui dicit nullum alium textum in iure reperiri quo ad hoc: & sic quinque vota. Cetera autem quæcunque illa sint, sunt reseruata Episcopis ad trad. per eundem Bonac. d. q. 2. punc. 7. §. 4. n. 11.

129 Et pro generali regula quo ad vota Castitatis, & Religionis. Dic, illa vota esse reseruata Papæ, quæ perfecta sunt, nam in votis imperfectis se ingerit Episcopus, & consequentèr Confessarius tempore iubilei quo ad commutationem, vt ibidem habetur per eundem Bonac. n. 20. & 21. vbi etiam dicitur de voto religionis non approbatæ, quod paritèr non est reseruatum Papæ. ibidem sub d. nu. 21. & ex infra

infra dicendis patebit n. 139. & seqq.

Quæ autem dicantur Vota imperfecta, Dic, exempli gratia, votum factum de re quidem reseruata, sed tamen animo se obligandi solùm sub veniali, vel sub nulla obligatione, hoc enim non censetur votum perfectum. Item vota non nubendi, vel non fornicandi, & similia, quæ (vt dicitur alibi) non sunt vota perfectè castitatis, vt ex eo. Bonac. vbi proximè supra.

130 Et quia exceptio est de regula, vt notissimi iuris est, alia tria vota prædicta, præter Castitatis, & Religionis, licèt sint de iure reseruata Papæ, tamen virtute iubilei datur facultas Confessarijs ea commutādi per verba clara Bullæ in §. quæ omnia. ibi. & insuper uota quæcunque, per quæ uerba tàm dicta tria uota, quam etiam omnia alia reseruata Episcopo intelliguntur concessa, ita ut ea Confessarius commutare possit, ut etiam ex eo. Bonac. d. §. 3. n. 17.

131 Et quod dictum est, Vota reseruata Episcopis censeri tempore iubilei concessa Confessarijs quo ad commutationem, hoc intellige, quatenus Episcopi possunt iure ordinario in ipsis dispensare, quia si iure delegato, uel alias ex priuilegio eis concesso, secus ut per Alf. par. 2. q. 13. n. 97. & ante eum Sanchez de matr. lib. 8. disp. 15. sub n. 40. in fi. iunc. n. 10. quod bene no. prout etiam ex infra dicendis patebit n. 140. & sub n. 161.

132 Sed utrum Confessarius electus uirtute iubilei possit non solùm commutare uota simplicia, sed etiam pęnalia, ac etiam pœnas ipsas iam incursas per fractionem uoti pęnalis. Bonac. post Suarez contra Nau. respondet affirmatiuè d. punc. 7. §. 4. n. 18. ubi uide rationes per discursum, & etiam no. ampliationem, uidelicèt etiam si Summus Pontifex prius commutauerit pœnam iam debitam ob uiolationem uoti, uel pœnam remiserit.

Pęnitens autem in obtinenda commutatione debet narrare pęnam incursam, aliàs non censetur commutata, nisi quo ad futurum. uide ibi per te.

Quod autem commutari possit hoc tempore iubilei etiam pęna debita ex fractione uoti firmat Alf. d. par. 2. q. 12. n. 74.

133 Sed nunquid Confessarius uirtute iubilei possit commutare uotum iuramento firmatum? Dic, quod sic, unde ad opera commutata tenetur talis uouēs ex ui uoti: Sed tamen aduerte, quia iuramentum, seù iuramenti uinculum adhuc durare uidetur, cum facultas commutandi uota non extendatur ad commuta-

mutationem iuramenti, cum sint valdè diuersa. Faciunt tradita per Nau. in Man. cap. 27. sub n. 275. vers. decimo sexto. Verum est quidē, ꝙ ex sententia nōnullorum nōvidetur improbabilis affirmatiua opinio, vt etiā possint commutari vota quo ad iuramentum, in casu tamen, quo iuramentum solùm sit additum ad confirmationem voti, & factum soli Deo; vndè si respiciat interesse tertij, secus. Sententia tamen negatiua est tutior, vt ex trad. per Bonac. d. disp. 4. q. 2. punc. 7. §. 3. n. 24: in quo, fortè errore Typographorum, in meo libro locus est mendosus. & §. 4. n. 32.

134 Ex his ergò sequitur, quod ne dicatur periurus, si votum non seruet, erit ei necesse obtinere absolutionem à iuramento, quod ab Episcopo, vel eius Generali Vicario, vel alio Episcopalem iurisdictionem habente de facili obtinebit, quia eam dare potest, vel committere Cōfessario, vt absoluat: quod intelligo, nisi votum iuratum factum sit ad fauorem tertij, & acceptatum, quia tunc credo Episcopū non posse, nisi de consensu partis. Cogita, & vide, quæ dixi supra de voto acceptato n. 109.

135 Pro tutiori in hac materia, & in casu iubilei, seù priuilegij, ac iuris delegati, distingue sic.

Aut iuramentum præstitum est ad confirmationem voti, & eo casu est accessorium voto, & tunc eo commutato censetur etiam commutatum iuramentū. Sed si iuramentum præstetur independenter, puta ante, vel post votum, nulla voti reflexione facta, tunc non erit accessorium, & virtute iubilei non censebitur commutatum, cum tale priuilegium commutandi vota non cēseatur extendi ad vota, & iuramenta simul: sunt enim duo vincula diuersæ speciei. itá reperio post longam disputationem distinguentem Sanchez de Matr. lib. 8. disp. 2. à n. 6. vsq; ad 26. inclusiuè. vbi n. 23. idem dicit procedere, si dubitetur, an in confirmationem voti sit factum, quia si post votum, censebitur factum contemplatione voti, & hanc distinctionem puto veram, & iuridicam.

136 Quæri item potest vtrum Confessarius electus à Pœnitente, qui instat sibi commutari vota, teneatur ad illa commutanda: & dico non teneri per se loquendo, cum cōmutatio sit gratia, vnde fit ex liberalitate Concedētis; Verum tamen est, quod causatiuè, seù secundum quid videtur teneri aliquando, puta si viderit Pęnitentem lucraturum ex commutatione voti, si quidē hæc facultas inducta est in vtilitatem, & bonum Pęnitentis: vndè, aut ex commutatione relaxari po-

xari po-

Digitized by Google

xari poteſt Pœnitens; & non tenetur: aut ex tali commutatione conſulitur bono ipſius, & tenetur. ſic elici poteſt ex trad. per Bonaci. de voto. d. diſp. 4. q. 2. punc. 7. §. 4. n. 33. iunc. diſp. 5. de pœnit. q. 7. §. 2. n. 19. & nouiſſime Alf. de Leo. in tract. de poteſt. Confeſſ. &c. par. 2. q. 12 n. 62.

137 Sed an obſtrictus vinculo voti teneatur aliquando petere cō mutationem. Et dic cum eo. Bonaci. quod ſic, quando videlicèt videt, ſi non petat commutationem, ſe proximum periculum ſubire peccandi: ratio eſt, quia quilibet tenetur cauere periculum peccandi, & propriæ ſaluti ſpirituali conſulere: vnde ſi remedium videt, commutationem, vel irritationem, vel diſpē ſationem, vtique petere debet. vide eundem Bonaci. vbi ſupra ſub d. n. 33. Quod ego intelligo abſolutè de periculo peccandi mortalitèr, à quo omninò cauēdum: de peccato autem veniali puto ſaltem conſulendum.

138 Sed quia hic agitur de commutatione votorum, quid dicēdum de pœnitentijs iniunctis, nunquid Confeſſarius electus poterit illas commutare inſtante Pœnitente? Et dic, quod ſic, ità Graff. in apen. lib. 2. cap. 5. n. 26. vbi addit, quod imò per iubileum tolluntur, quod an verum ſit, vide, quę dixi ſupra par. p. cap. 4. n. 7. & ſeqq. tutius tamen dicit eſſe, vt pœnitentiæ prę ſeruatiuæ, & medicinales non commutentur. ità ref. Alf. par. 2. q. 12. n. 75.

Quòd autem etiam extra tempus iubilei pœnitentia iniuncta commutari poſſit, tàm ab eodē Confeſſario, quam ab alio, non ſolùm æquali, ſed etiam inferiori, concludit poſt D D. & plura notatu digna, quæ de more diſputat Bonac. de Sacram. diſp. 5. q. 5. ſect. 3. punc. 3. n. 1. 2. 3. & 4. etiam non iterata confeſſione eorumdem peccatorum, ob quæ impoſita fuit ſecundū Nau. in man. cap. 26. nu. 22. & concordat Tolet. inſtr. Sacerd. lib. 3. cap. 11. n. 11.

Quod intellige, ſi fiat ex iuſta, & rationabili cauſa, vt per eoſdem; aliàs ſecus: iuſta verò, & rationabilis cauſa eſt neceſſitas, vel notabilis vtilitas, vel difficultas pœnitentis in præſtanda pœnitentia, vel obliuio pœnitentiæ alias iniunctæ, vt per prædictum Bonac. ſub d. n. 1. Vel ſi bona fide putet Pœnitens iniunctam implere non poſſe, aut non ſine difficultate, vel periculo ſalutis animæ, vel corporis. Nau. d. n. 22.

Verum eſt tamen, quod nonnulli tenent, hoc non procedere in pœnitentijs præſeruatiuis, & medicinalibus, vt etiam aliqualitèr tactum eſt ſupra.

Sed

Sed tamen Bonac. etiam in his tenet partem affirmatiuam, dummodo commutet ex iusta, & rationabili causa in aliam præseruatiuam, & salutarem, vt subdit ibidem n. 5. in quo tamen credo, pęnitentem teneri, vel fateri peccatum, ob quod iniūcta fuit; vel aliàs significare esse præseruatiuam, tangendo causam propter quam, &c. vt congrua pęnitentia iniungatur, vt in simili idem Bonac. tangit vbi supra n. 8.

At quicquid supradicti sentiant, semper, & indistinctè tenerem, commutationem fieri quidem ex causa aliqua rationabili posse, etiam ab alio Confessario, dummodo tamen ei fiat cōfessio eorundem peccatorum, ob quæ pęnitentia prima imposita fuit, à quibus denuo à secundo Confessario Pęnitens absoluatur, cum sint materia sufficiens, & pęnitentia noua imponatur, aliàs si non absolueretur, remaneret nuda narratio pecatorum, & sic non esset sacramentalis cōfessio, extra quam clarum est, cōmutationem fieri non posse, vt infra vers. quod autem. vt egregiè tradit P. Auers. de sacram. pęnit. q. 13. sect. 8. vers. communior. post Suarez, Coninc. Lug. Pesant. Syluest. Rosell. & alios, quos allegat, & seq. quē copiosius vide per te: Hanc enim sententiam Becan. de sacrament. cap. 41. n. 8. dicit esse cōmuniorem, & in praxi securam, atque vsitatam.

Dixi (indistinctè) quia siue secundus Confessarius sit inferior, siue æqualis, siue superior, semper debet audire confessionē illorum peccatorum, pro quibus pęnitentia iniuncta fuit. Ratio est, quia sicut fieri non potest, vt Confessarius audiens nunc noua peccata imponat pęnitētiam de veteribus, quæ non audit, ita neque vt commutet veterem pęnitentiam, quod est illam tollere, & aliam de nouo imponere, sicut etiam Iudex nō potest proferre sententiā de vna causa per cognitionem alterius causæ, & de vno delicto per cognitionem alterius. ex eo. vbi supra vers. tum præterea.

Benè tamen verum est, quod non videtur necessaria tam exacta repetitio peccatorum eorundem pro obtinenda commutatione, quam fuerat ab initio ad obtinendam absolutionem, sed sufficiet talis, vt Confessarius habeat notitiam, qua prudenter dirigatur ad dictam commutationem. Idem vbi supra vers. admitti etiam.

Sed quid, si pro reseruatis imposita fuit pęnitentia? Negatiuam tenet Syluest. ver. Confessio. q. 27. mihi n. 31. & Nau. vbi supra sub d. n. 22. & plures alij per Bonac. vt inf. relati. sed

Bonac.

Bonac. vbi sup. n. 6. tenet contrarium, iusta tamen interueniẽte causa, qualis est pia vtilitas pęnitentis, vel necessitas, vel magna difficultas. Ratio est secundum eum, quia iam adempta est reseruatio per absolutionem, etiam si esset inualida, dum est facta à superiore, & sic se habet casus, ac si non esset reseruatus, vnde concurrente iusta causa, etiã præsumitur superior rationabiliter velle, quod expedit saluti pęnitentis, quod etiam videtur de mente Syluest. qui vbi supra subdit hæc uerba. nisi necessitas vrgeat, vel suadeat vtilitas, in quibus casibus pium est interpretari, quod Superior licentiam commutandi, vel relaxandi concesserat. Hæc ille. Subdit tamen idem Bonac. vbi supra sub n. 6. Confessarium non debere se facilem præbere in mutanda, & minuenda pœnitentia; ne Pœnitentes occasionem arripiant non adimplendi pęnitentias, ut communitèr obseruant DD. Vide eundem Bonac. toto n.6. ubi egregiè discutit hanc materiam, licèt quo ad ipsam commutationem respectu reseruatorum P. Auers. teneat contra Bonac. d. sect. 8. uers. poterit, & uers. sed tamen.

Sed fortè possent concordari, ut dicta per Bonaci. procedant, quando talis, & tanta iusta causa commutandi talem pęnitentiam concurrit, ut prudentèr præsumi possit licentia Superioris: Dicta autem Auersę, si non talis, nec tanta causa intercedat, sed qualis qualis, ut etiã arguitur ibi ex dictis eiusdem Auers. & fauent dicta Syluest. ut supra.

Quod autem dictum est de commutatione pœnitentiæ, intellige si fiat in foro pęnitentiali, non autem extra. Bonac. d. punc. 3. n. 7. unde tanto minus arbitrio proprio, quod nullo modo fieri potest, cum nullo casu sit satisfactio sacramentalis, vt per eundem n. 10. etiam si fiat commutatio in euidentèr melius: & tenere contrarium, temerarium est, & est etiam contra communem sententiam, vt post plures DD. firmat nouissimè idem Pater Auersa d. q. 13. sect. 8. Vers. certum tamen. & vers. ex alia parte. vbi dicit, actum commutandi pœnitentiã, qui est tollere vnam, & imponere alteram, esse vtique actum huius sacramentalis iudicij; ergò non nisi in ipso foro, & exercitio huius iudicij fieri potest, quod tene menti.

Et quatenus dictum est supra, inter causas rationabiles esse obliuionem pœnitentiæ, id intellige etiam secundum Bonac. vt eo casu Pœnitens saltem fateatur peccata præcipua, ob quæ imposita fuit pœnitentia oblita, vt eo-

vt eo. punc. 3. n. 8. 9. & 10. quo casu pęnitens (si potest.) adire debet primum Confessarium, qui semper poterit pęnitentiam commutare etiã non audita noua confessione eorundem peccatorum, dummodo tamen recordetur, vt concludit idẽ P. Auers. d. sect. 8. vers. postremò.

An autem facta commutatione pęnitentiæ liberum adhuc sit pęnitenti facere primam, vel secundam, Resp. affirmatiuè iux. eundem Bonac. vbi supra d. pũc. 3. n. 13. & sequitur etiam idem P. Auers. d. sect. 8.

Et hęc ex abundãti dicta sint occasione quæsiti, de quo supra in princ. præsentis numeri.

Si ergo etiam extra tempus iubilei pęnitentia cõmutari potest, quanto magis tempore iubilei, in quo etiam si in minorẽ commutetur, non male agitur, cum tempus iubilei, vel indulgentiarum ponatur inter iustas causas minuendi pęnitentias iuxta Nau. d. cap. 26. sub n. 21.

An autem sit peccatum mortale non adimplere pęnitentias iniunctas à Confessario, & acceptatas, dic, quod sic, si pro mortalibus primo confessis iniunctæ sint, & sic grauis satisfactio: si verò pro venialibus tantum, vel mortalibus alias confessis, & absolutis, est tantum veniale; prout etiam, quando satisfactio iniuncta est leuis etiam si pro mortalibus primo confessis iniuncta sit, vt disputat, & concludit idẽ Auers. d. q. 13. sect. 6. Idem dico, si Confessarius iniungat pęnitentiam sub culpa veniali etiã quod sit pro peccatis mortalibus primò confessis, & materia pęnitentiæ sit grauis, quia id facere potest secundũ eundem Auer. ea. q. 13. sect. 7. vers. sexto demum. exemplum autem leuis satisfactionis est oratio Dominica ter, vel quater recitanda; vnus psalmus Miserere, & simil. vide ibi ante medium sect. 6.

An autem Confessarius sub mortali possit iniungere etiam pœnitentiam leuem, dic, quod non. ità tenet ibidem idẽ Auers. vide per te.

139 Quo ad Vota Castitatis, & Religionis excepta in Bulla iubilei, in quibus Confessarij electi non possunt apponere manus est aduertendum, quod ista exceptio habet locum tantum in votis castitatis perpetuæ, & religionis approbatæ, vt supra tetigi n. 127. Et intelligo de votis perfectis, & simplicitèr, & absolutè factis; non autem de imperfectis; quia ista vota, quando sunt imperfecta, sunt tantum reseruata Episcopis, & consequenter ea commutare possunt Confessarij electi virtute iubilei vt ex Sanchez de mãtrim. lib. 8. disp. 15. n. 3. & 4. & alijs. & tetigi supra n. 129. & vt ex infra

dicen-

Digitized by Google

dicendis patebit.

140 Casus autem, in quibus se extendit facultas huiusmodi Cōfessarij circa hæc vota, sunt sequentes recollecti ex D D. ad maiorem notitiam Confessariorum.

In hac autem materia pono hanc conclusionem circa vota Castitatis.

Iubilei tempore possunt Confessarij commutare Vota Castitatis in illis casibus, in quibus possunt Episcopi ordinaria auctoritate dispensare ob defectū materiæ, seù perfectionis Voti: non autem in illis, in quibus possunt dispensare auctoritate delegata: videlicet vt delegati Apostolicæ Sedis, & ob extraordinariam necessitatem, vt infra n. 61. quod valde nota, ne erres.

141 Et aduerte, quod casus in quibus possunt Episcopi ordinaria auctoritate, sunt ex defectu, vt supra, ex quo vota redduntur imperfecta, vt in infrascriptis casibus, post quos erunt videndi casus, qui spectant ad Episcopum extraordinaria auctoritate, & delegata, in quibus nec Confessarij possunt se ingerere, & postea videbitur de voto Religionis.

142 Casus ergo Episcopales respectu auctoritatis ordinariæ sunt infrascripti.

Si Votum sit certæ Castitatis, licèt perpetuæ, nempè non adulterandi, non fornicandi, non cōmittendi peccatum mollitiei, abstinendi à certo actu venereo, & simili. Alf. de leo. d. par. 2. q. 13. n. 98.

Confessarius tamen in his casibus carnalibus benè aduertat, ne quodammodo licentiam peccandi concedat, vt ibi tangitur, & vt etiam dicit nu. 103. & ego infra n. 147.

143 Item si Votum sit de Virginitate seruanda sine intentione seruandi perpetuam castitatem, sed tantum vitandi illum actum deflorationis integritatis præcisè. Alf. vbi supra n. 99. & ante illum Sanchez d. lib. 8. disp. 15. n. 4. & 5.

144 Item si factum sit Votum de non nubendo, vel abstinendo à nuptijs. Nau. in man. cap. 12. sub n. 76. Sanch. d. n. 4. & Alf. vbi supra nu. 100. & Bonac. d. disp. 4. q. 2. punc. 7. §. 4. n. 21. & quod votum non contrahendi matrimonium non includat votum castitatis etiam concludit Rodriq. in Summa par. 2. cap. 98. n. 2.

145 Item si votum sit de non tangendo mulierem libidinosè, & idem de non cognoscendo feminas, quia hęc vota non sunt simplicis castitatis, ita vt comprehendant, & includant in se abstinentiam ab omnibus actibus venereis, ad eundem. Alf. vbi supra

supra

ſuprà n. 101.

146 Item votum factum ab vno Coniuge ſine conſenſu, vel licẽtia alterius de non petendo debitum. Item votum etiam factũ ex alterius licentia. Item votum factum ab vtroque de communi conſenſu de non petendo, nec reddendo: Sunt enim vota talia in quibus diſpenſat Epiſcopus, & conſequenter commutare poteſt Confeſſarius tempore iubilei, ex Sanch. d. diſp. 15. n. 4. & Alf. d. par. 2. q. 13. n. 102. vbi extendit caſum etiam ad votum ſimplicis caſtitatis, ſi fuit emiſſum ab altero ſine conſenſu, vel licentia alterius: in quo tamen caſu commutatio durabit durante matrimonio, quia ſi vouens ſuperuiuat, tenetur ſeruare caſtitatem, & tunc ſpectat ad S. P. diſpenſare, uel commutare, ut ibi habetur poſt Leſſ. & Vgol. ab eo allegatos.

147 Item Votum de coniugali caſtitate, ſeù coniugalis caſtitatis ſecundum Sanchez de matri. d. diſp. 15. n. 4. & diſp. 9. n. 7. ſcilicèt (vt Alf. interpretatur, vbi ſupra n. 103.) de non cognoſcendo mulierem carnalitèr, niſi in matrimonio. Et hoc votum comprehendit ſolos actus venereos illicitos, vt d. n. 7.

Quod Votum ſeruandi Caſtitatem coniugalem faciunt Equites D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, vnde tenentur abſtinere ab omni alia cópula carnali, præterquam cum vxoribus; imò ab omni actu impudico cum pollutione extra vas, vel cum periculo eius etiam cùm ipſis vxoribus. Rodriq. in ſumma par. 2. cap. 98. n. 3. ſubdit tamen Alf. vbi ſupra, tale votum non debere commutari, niſi ratione periculi maioris peccati.

148 Item ſi fuerint plura vota, quæ iuncta faciant perfectam caſtitatem, cum tamen ſingula imperfecta ſint, meritò poſſunt cõmutari. Alf. vbi ſupra n. 104. vbi ſubdit exempla, puta, ſi quis vna vice vouit non nubere; deinde alia vice vouit non fornicari; alia vice promittit alia peccata uenerea non committere. vide ibi.

Ego autem in hoc puto diſtinguendum: aut enim petit commutationem alicuius voti ex iam dictis caſu quo adhuc non emiſerit reliqua, quæ ſimul faciant perfectam caſtitatem, & puto cõclusionem procedere, quia licèt emittantur poſtea alia vota, ſemper tamen verum eſt, quod in vno eſt facta diſpenſatio, uel cõmutatio, & ſic vouens in eo eſt liber, unde non impeditur, quin in alijs poſſit diſpenſari: Si uerò emiſit iam alia, quę ſingula unica Votum conſtituant integræ caſtitatis, dubito de concluſione, quia hic ſi peteret commutationem, eſſet in fraudem Voti ſimpli-

simplicis castitatis iam Deo promissæ licèt per plures uices. Cogita.

149 Item Votum suscipiendi Ordines Sacros: in præsenti enim non promittitur Castitas, & sic non est absolutè Votum Castitatis, cum ante susceptionem ordinum non uigeat eius obligatio. ut post Less. Azor. Vgol. Sanchez. & Molf. concludit idē Alf. ubi supra n. 105. & Bonac. de præcept. d. disp. 4. q. 2. punc. 7. §. 4. sub nu. 17. uers. ex quo patet.

150 Item Votum alternatiuum, uel disiunctiuum, uidelicet castitatis, uel alterius rei non reseruatæ. Quod intelligo ante electionem partis reseruatæ. Sanchez de matr. lib. 8. d. disp. 15. n. 4. & Al. d. q. 13. n. 91. ubi n. 92. ampliat conclusionem etiam si materia non reseruata facta esset impossibilis, quod tamen est contra opinionem Bonac. ubi supra, Alf. tamen subdit, utranq; opinionem posse Confessarium tuta conscientia amplecti. Ego uerò libenter sequor opinionem Bonac. tanquam probabiliorem per solidas eius rationes: uide per te.

151 Item uotum castitatis ad tēpus puta ad duos annos, uel plures, non tamen ad centum annos, uel etiam ad tale tempus, ut respectu ætatis uouentis censeatur perpetuum. tradunt idem Bonac. d. §. 4. sub n. 18. uers. septimo. & Alf. d. q. 13. n. 95.

152 Item Votum Castitatis annexum alicui uoto non reseruato, quia tunc se habet tanquam accessorium: secus autem si uoto castitatis tanquam principali fuerit annexum aliquod uotum nō reseruatum, quia Episcopus tūc solùm poterit super annexo, & accessorio, non super principali, & consequenter Confessarius quo ad commutationem circa annexum per iam dicta. firmat Bonac. ubi supra nu. 17. uers. quarto.

153 Item Votum conditionale Castitatis. intelligo de conditione de futuro, & modò conditio non sit adimpleta. Hoc enim est Votum imperfectum castitatis, & intellige, si sit uerè conditionale, secus si solùm apparentèr. Bonaci. d. §. 4. sub nu. 17. uers. quinto Episcopus. ubi uide per te, uel conditio sit necessaria, uel tacita, uel de præterito, uel præsenti, quia cum tales conditiones non suspendant actum, uotum habetur pro absoluto. idem ubi supra per discursum.

154 Item Votum per metum, quamuis leuem, emissum, vt tradit Bonac. d. §. 4. n. 17. in princ. & sequitur Alf. d. q. 13. nu. 97. vbi subdit, casum esse de leui metu, nam si metus fuisset de illis, qui cadunt in constantem Virū, non

Digitized by Google

non esset necessaria commutatio, cum nullam inducat obligationem. & no. hic intelligi de metu ab extrinseco incusso, non ab intrinseco, vt est metus mortis in infirmitate, vel in naufragio, seù in alio periculo, nam Votum Castitatis tenet, & est de reseruatis Papæ, vt tangit eo. n. 97.

155 Item quando dubitatur, vtrum votum Castitatis sit validum, vel vtrum sit reseruatum, nam casus reseruati non sunt dubij; in dubio enim benignior pars accipienda est. ex trad. per Suarez de uoto lib. 6. cap. 26. n. 6. quem etiam ref. & seq. Bonac. d. §. 4. sub n. 17. vers. tertio. vbi etiam citat Sanch. cap. 40. n. 26. & 80. vide per te.

156 Item quando Summus Pontifex commutauit votum sibi reseruatum in aliud non reseruatum, nam sicut Episcopus in secundo non reseruato potest dispensare, ità Confessarius commutare per iam dicta. & tradit idem Bonac. d. §. 4. sub n. 18. uers. sexto. ubi tandem obijcit, & respondet ad obiecta, &c.

157 Sed modò quæri posset, vtrũ votũ factum ab eo, qui uouit (puta) castitatem ad tempus decem, uel quindecim annorũ, & est iuuenis, & intendit tunc facere uotũ reseruatum Papæ, & à nullo alio petere dispensationem, nisi ab eo, uotum tale sit re ipsa reseruatum Papæ, ità ut Episcopus in eo nullum ius habeat dispensandi? Resp. negatiuè, quia priuata uouentis intentio non potest adimere facultatem Episcopo, illumq; sua iurisdictione priuare. ita Suarez lib. 6. de Voto. cap. 21. n. 15. Reginal. Clauis Reg. Azor. & Sanch. quos ref. & seq. idem Bonac. d. §. 4. n. 19. unde & hoc etiam uotum poterit commutare Confessarius tempore iubilei per supradicta.

158 Et quia visum est de casibus, in quibus Episcopus potest ordinaria auctoritate super votis castitatis dispensare, videndum erit, in quibus possit extraordinaria, seù delegata auctoritate id facere, vt sciatur, in quibus Confessarius tempore iubilei se non potest ingerere pro commutatione. Et dico, quod sunt infrascripti, videlicèt.

159 Quando factum est votum simplicis Castitatis ante contractum matrimonium, & quæritur dispensatio post contractum matrimonium ad consumandum, & petendum debitum, nam Episcopus potest dispensare, si timetur periculum incontinẽtiæ. Alf. d. par. 2. q. 13. n. 107. post Azor. ab eo relatum. Et intelligo quando non potest adiri Papa iuxta trad. per Syluest. ver. Votum. 4. n. 4. & in term. Nau. in Man. cap. 12. nu. 76. idem extende, quãdo difficilis est aditus ad S.P.

Digitized by Google

ad S. P. vel Legatum, vt tradit Alf. vbi supra n. 110. Pro intelligentia Alfonsi adde, quæ dicuntur infra n. 172. & generalitèr

160 Quando expectatur dispensatio Papæ, vel Legati, & interim est periculum magni scandali, vel damni tertiæ personæ, Episcopus potest dispensare, cum hoc casu non censeatur Papa dispensationem sibi reseruare: solet enim id facere non in perniciem, sed in vtilitatem animarum: & hęc dispensatio durat durante periculo. ita Bonac. vbi supra n. 15. & Alf. n. 109. Hæc tamen in dd. Casibus dici potest potius suspensio executionis voti, quam dispensatio, vt per Bonac. ibi subditur.

161 Et licet Episcopus dispensare possit cum coniuge habente votum simplex castitatis, siue continentiæ, vt possit petere debitum, talis tamen mortuò coniuge tenetur castitatem seruare. Quod intelligo siue votum sit emissum ante matrimonium, siuè post: & quod dicitur de vno, intelligo etiam de vtroque coniuge, vt supra in casu proposito, sed iuxta distinctiones infra ponendas n. 162. & infra.

Tutius tamen in similibus casibus est petere dispensationem à Papa, vt Bonaci. subdit vbi supra.

Et cum ista vota subdantur dispensationi Episcopi non iure ordinario, sed propter extraordinariam necessitatem, meritò in his non poterunt se ingerere Confessarij tempore iubilei, vt tradit idem Bonac. vbi supra n. 16.

162 Et cum clarum sit, Episcopum posse dispensare solùm ad petendum debitum, si timetur periculum incontinentiæ, vt tradit Bonac. & Nau. & Syluest. per eum allegati; qui tamen non distinguunt, an votum factum sit ante matrimonium, vel post; & an ante cõsũmationem, vel post, & quia etiam per DD. satis confusè proceditur in hac materia difficili, & intricata, tu, vt clarius eam possideas, benè considera votum simplicis castitatis, si emissum sit à Iugalibus post cõtractum matrimonium esse in quintuplici differentia.

Primò quando alter coniugũ absq; alterius coniugis licentia vouit castitatem.

Secundo, quando cum alterius licentia vouit.

Tertiò, quando vterque absque alterius licentia.

4. Quando vterque seorsum cum alterius licentia, non tamẽ simul concurrunt per modum contractus.

5. Quando vterque mutua licentia per modum contractus continentiam, seu castitatem vouet.

Digitized by Google

His positis facio infrascriptas conclusiones, quas benè nota, cum per ipsas satis clarescat, in quibus terminis loquantur DD. qui indistinctè videntur procedere.

163 In primo casu Episcopus dispensare potest omnino, si matrimonium sit consummatum, cum id nō possit dici votum simplicis castitatis, quia non excludit redditionem debiti.

Si verò emissum sit post ratum ante consummationem, dic, quod tunc aut emissum est animo ingrediendi religionem ad votum implendum; & Episcopus non potest, quia tunc valet, vt votum omnimodæ castitatis: poterit tamen solùm dispensare ad petendum debitum, si semel de facto consummatum sit: ante consummationem autem, non.

Si verò talem animum non habuerit, scilicèt positiuè, vel etiam negatiuè, ita ut nec de ingressu, nec de opposito cogitauerit, Episcopus potest, quia non est votum omnimodæ castitatis, vt suprà in prima conclusione, & consequenter Episcopus poterit dispensare non solū ad petendum debitum, sed etiā prorsus, & omninò, liberando vouentem ab eius obligatione.

Et sic recolligendo materiam habes, quod in voto castitatis tam emisso post consummationem, quam ante, scilicèt sine animo ingrediendi religionem ad illud implendum, potest Episcopus dispensare omninò secūdum Sanchez. in fine allegandum, licèt nonnulli contra respectu voti ante consummationem.

Cum animo autem ingrediēdi, potest solùm ad petendum debitum, si semel de facto consummatum sit, aliàs si consummatum non sit, secus.

164 In secundo casu dico, quod cum tale votum non sit omnimodæ castitatis, quia non obstante tali consensu tenetur petenti reddere debitum, siuè id votum factum sit ante consummationem, siuè post, poterit Episcopus omninò dispensare.

Quod intelligo verum, si non habuit animum ingrediendi religionem, vt supra in primo casu, quia si animum habuit, tunc ante consūmationem Episcopus nec poterit dispensare ad petendum debitum. Si verò post consummationem, poterit ad petēdum debitum tantummodo propter periculum incontinentiæ, vt supra.

In tertio casu dico, sicut in primo, quia est in vtroq; eadem ratio, quæ in altero tantum.

In quarto casu dico prout in secundo propter eandem rationem.

165 In quinto autem casu, scilicèt quando vterque communi consensu continentiam vouit per modum

modum contractus, & reciprocæ conuentionis, videlicèt facio, vt facias, sunt diuersæ opiniones

Prima enim tenet hoc non esse votum simplicis castitatis, & ideò vtrumque posse reddere, & sic Episcopum posse omninò dispensare.

Secunda Episcopum solum ad petendum debitum posse dispensare.

Tertia autem tenet, hoc esse votum simplicis castitatis, & cõsequentèr Episcopum non posse se in eo ingerere, & hanc puto tutiorem ex trad. per Sanchez de matr. lib. 8. disp. 11. per tot. Quo ad præmissa, & quo ad vltimum vide ibi nu. 10. & lib. 9. disp. 37. n. paritèr 10.

Subdit tamen d. disp. 11. nu. 11. quod hoc vltimo casu Episcopus potest dispensare ad petendum debitum ob vrgentem necessitatem, scilicèt si non potest commodè adiri Summus P. vel alius habens priuilegium.

166 Quod autem dictum est secũdum tertiam opinionem, hoc esse votum simplicis castitatis, & successiuè Episcopum se non posse ingerere ad dispensandum super eo, intellige, nisi in eo voto apposita sit aliqua exceptio, quia tunc non esset votum omnimodæ castitatis, & consequentèr Episcopus posset in eo prorsus dispensare, prout si esset conditionale, vel limitatum ad tempus, vt subdit n. 13. & 14.

167 Hic autem quæri posset, an censeatur votum conditionale, vel non, si duo jugales mutuò vouerint castitatem, si haberent prolem. Et dic, aut dictio (si) æquiualet dictioni (quando) vt sit sensus, postquã habuerimus prolem, promittimus ex nunc continentiam. Et est votum veræ, & absolutæ Castitatis.

Si vero dictio (si) faciat sensum conditionalem, hoc est, si Deus concesserit nobis hoc beneficium, vt habeamus prolem, promittimus in gratiarum actionem seruare continentiam; & est votum conditionale, & in hoc Episcopus potest prorsus dispẽsare. trad. idem Sanch. ea. disp. 11. sub n. 13. & disp. 10. n. pariter 13. Hoc autem intelligo ante conditionis euentum.

168 Sed quid si tales coniuges vouentes per modum contractus remittunt sibi ipsis renunciationem iuris petendi, & reddendi debitum, quam vouendo fecerunt, iterum conferendo sibi, & communicando mutuam corporũ potestatem? Dic, quod talis remissio est contra votũ, & tales dicuntur sacrilegi effractores voti: valet tamen talis remissio ad reddendum debitum tantum, vnde cum obstante voto petere nõ possint, Episcopus poterit iure proprio dispensare in debiti petione stante obligatione reddẽdi, &

di, & hoc propter periculum incontinentiæ, licèt etiam facile posset adiri summus P. vel alius habens priuilegium; & hunc casum benè no. tradit Sanch. d. lib. 8. disp. 11. n. 15. & lib. 9. disp. 37. n. pariter 15. vbi vide etiam rationes, & fundamenta huius conclusionis.

Et hæc locum habent in votis factis a iugalibus post contractũ matrimonium.

169 Quid autem dicendum sit de votis castitatis factis ante matrimonium. Dic, quod quicquid nonnulli sentiant, Episcopus sẽper potest dispensare ad petendum debitum, non quidem rationibus per nonnullos allegatis cum contineant errores, seu consequẽtias intolerabiles, sed quia consuetudine, quæ iurisdictionẽ præbet, ita obtinente, sic est, vt hæc dispensatio Episcoporum sit licèt attento iure ad solum S. P. spectet. ita notabiliter, & egregiè firmat Sanch. de matr. lib. 7 disp. 12. n. 4. & dixi (semper) quia siue id intelligas ante consummationem, siue post, semper Episcopus dispensare potest ad petendum debitum, vt ibidem subditur n. 6. necessitas enim matrimonij initi nil aliud postulat, vt subijcit n. 9. & hoc adeo potest Episcopus ex consuetudine, vt minime necessarium sit confugere ad Papam, nec ad alios priuilegium habentes. vt dicit ibidem n. 7.

170 Sed in hoc casu dubitari potest, an Episcopo id competere dicatur iure ordinario, an delegato (quod valde vtile est scire, siquidem Confessarius semper virtute iubilei potest commutare vota, in quibus iure ordinario Episcopus potest dispensare, secus si iure delegato, vt supra pluries firmatum est) & puto iure ordinario, cum consuetudo det iurisdictionem, scilicet ordinariam, vt ex c. cum contingat. iũc. glo. in ver. consuetudine de fo. compet.

An autem in hoc se ingerere possit Confessarius quo ad commutationem tempore iubilei, videtur, quod non, quia licèt fortè possit sustineri, cõpetere Episcopo iure ordinario, tamen quia est propter extraordinariam necessitatem, vt tangitur supra n. 161. iunc. n. 140. non auderem asserere contrarium; nam pluribus causis per se sufficienter concurrentibus ad vnum effectum, vna cessante non cessat effectus. ad trad. per Abb. in c. cum cessante. sub n. 2. ex. de appella.

171 Ex iam firmatis elice differentiam, & distingue, an votum emissum sit ante matrimonium, an post matrimonium ratum, & consummatum; nam in primo casu potest solum ad petendum debitum: in secundo si sine animo ingrediendi Religionem ad

effectum

Digitized by Google

effectum vt supra n. 163. potest omnino: si cum animo ingrediendi, nihil potest, nisi de facto saltem semel consummatum sit, quia tunc poterit ad petendum debitum propter periculum incontinentiæ, vt ex supradictis d. n. 163. constat.

172 Ex his collige, Alf. qui dicit in voto simplicis castitatis emisso ante contractum matrimoniū posse Episcopum post contractū dispensare ad consummandum, & petendum debitum, si timetur incontinentiæ periculum, intelligi debere de sola petitione debiti, cum ad reddendum teneatur, vnde verbum illud (ad consummandum) vel abundat, vel saltem stat sinonimè, ita vt idem sit ad consummandum, quod ad petendum debitum.

Quando verò dicit n. 108. votum emissum post consummatū matrimonium posse per Episcopum dispensari quo ad debiti petitionem propter periculum incontinentiæ, si verò emissum sit post ratum ante consummationē ab Episcopo dispensari non posse, intellige bene dicere quo ad primam partem; quo verò ad secundam verum est quidem, Episcopum non posse dispensare in aliquo, si cum animo ingrediendi religionem ad illud implendū emissum sit: alias potest Episcopus dispensare omnino vt supra n. 163. quia tunc non censetur votum omnimodæ castitatis, vt ibidem.

Et quatenus Alf. dicit de voto emisso à Coniugibus concorditèr, intellige totum iuxta tradita supra n. 165.

Quæ omnia, & singula sunt benè notanda, quia per D.D. non traduntur omninò distinctè sed satis confusè, quam confusionem Confessarij euitare debent, si velint muneri suo legitimè satisfacere.

Et hactenus de voto Castitatis, siuè continentiæ.

173 Sed quid de Voto Religionis. Dic, si Religionis votum est de non approbatis, vt est Tertiariarium S. Dominici, vel S. Francisci aut similium, quæ vulgo dicuntur Theatinæ, vel Sorores B. M. Virginis, vel sub alio nomine, quæ tamen non viuunt gregatim (si enim sic viuerent, esset vera, & approbata Religio) semper Confessarius virtute iubilei poterit votum commutare. Huius exempli sunt etiam Religiones omnes militares, vt Alcantaræ, Calatrauæ, D. Iacobi, S. Stephani, S. Mauritij, &c. tradit. Alf. d. par. 2. q. 13. sect. 3. n. 112. & 113. Secus tamen dicendum est de Religione S. Ioannis Hierosolimitani, quia hæc sola inter militares est vera Religio, vt ibidem subditur.

174 Item Votum perseuerandi in Re-

in Religione aliqua, cum sit diuersum à voto Religionis, non erit de reseruatis, vnde poterit Confessarius commutare. Alf. ibidem n. 114.

175 Item Votum conditionale, puta, si quam Religionem ingrediar, voueo ingredi hanc, vel hanc, vel non aliam, nisi hanc, vel quid simile, vnde antequam ingrediar, potero commutationem voti petere. Alf. vbi supra n. 115.

176 Item si agitur de circumstantijs ipsius Religionis, non de substantialibus, poterit commutari. vide eundem n. 116.

177 Sed nunquid aliqui casus sunt in voto Religionis, in quibus potest Episcopus dispensare, non tamen Confessarius cõmutare virtute iubilei? Et dic, quod in ijsdem casibus, quibus circa votum castitatis non potest Confessarius, sed Episcopus tantum, non poterit etiam in votis Religionis, licèt Episcopus possit, putà, ratione incontinẽtiæ, scandali, paupertatis, vt tangit idem Alf. vbi supra n. 117 & vide eundem n. 106. & seqq. vsq; ad 110. Vide etiam supra, quæ traduntur hic n. 158. & etiã seqq. vbi agitur de Voto Castitatis.

Et aduerte, quia quicquid dictum est de Votis, tàm Castitatis, quàm Religionis, intelligẽdum est de votis simplicibus, & priuatè emissis, quia si vota castitatis essent solemnia, vt fit in susceptione ordinis sacri, & emissione professionis approbatæ Religionis, esset aliud dicendũ, & non esset præsentis speculationis, cum nec etiam Episcopi in illis se ingerere possint, vt notissimi iuris est.

CAPVT SEXTVM.

SVMMARIVM.

Iubileum hoc secundum vniuersale indictum fuit ab eodem S. D. N. D. Innocentio X. pro præsentibus Ecclesiæ Necessitatibus, vt hic in princ. vbi ponitur textus constitutionis, & postea summarium.

Differentiæ decem, & octo notantur inter primum, & secundum iubileum à n. 1. vsq, ad 18.

Diuersitates ab ipso textu Breuis sex nòtantur in summario à n. 23. vsq, ad 25.

Transumpta, & exempla sunt attendenda, nam summaria non emanant immediatè à S. P. n. 25.

An detur casus, quo confessio commutari possit, vel differri n. 26, & 27. & de casu particulari, quo ad commutationem n. 29.

Dari potest casus, vt Confessarius sit talis, quod Pœnitens iustam causam habeat tacendi aliquod peccatum. sub n. 26.

Casus aliqui tanguntur, in quibus Confessio dimidiari potest, vnde, & etiã differri. sub d. n. 27.

Communionem ex causa potest proprius

Sacer-

Sacerdos differre de iure communi. sub d. n. 27. in fi.

Hoc secundum iubileum est strictius primo. n. 28. iunc. n. 13. & 16. praecedd.

An qui interest vni processioni casu quo in loco fiant duæ satisfaciat n. 30.

Quid si determinentur certæ Ecclesiæ pro tali parochia, & certæ pro tali, an satisfiat indistinctè per interuentum in vna processione tantum n. 31.

Vtrum qui commisit aliquod peccatum reseruatum sub spe iubilei, mereatur absolui, & beneficio iubilei potiri. n. 31

Vtrum capere possit iubileum, qui in principio hebdomadæ primæ post publicationem discessit à patria. & accessit ad locum alterius Diœcesis, in quo iam expletum est iubileum n. 33.

Sed quid si discessisset ante publicationē. n. 34. & 35.

Caput VI.

ANtequam typis imprimeretur opus, hoc anno 1648. de mense martij rursum indictum fuit Iubileum vniuersale ab eodem S. D. N. D. Innocentio X. tanquam vigilantissimo Pastore ad Diuinā opem implorandam, præcipuè pro præsentibus Ecclesiæ necessitatibus. Vnde & hoc Cap. 6. addendum duxi, in quo constitutio in forma Breuis cum Summario Romæ impresso registratur, & nonnulla notantur, quæ ad materiam valdè conducere duxi.

Breue igitur est huiusmodi tenoris, videlicet.

Iubileum vniuersale S. D. N. D. INNOCENTII Diuina Prouidentia Papæ X. Ad Diuinam opem implorandam.

Innocentius Papa X.

VNiuersis Christi fidelibus præsentes Litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

Inter plurimas, easque grauissimas curas nostri Pontificatus, illa continenter anxit, ac solicitum habuit nostrum animum, qua latè aspeximus, assiduis bellorum motibus agitari, ac premi Christianum Orbem, si quidem commiserationem, & lacrymas jugiter poscunt continuæ per tot iam annos populorum cædes, Vrbiumquè strages, ac tanta vndique illata rebus sacris damna, & Catholicæ Religioni. Adeoque ipse Christiani nominis hostis implacabilis Turcarum Tyrannus confidentior factus Christianorum discordijs, vires, atq; animos sumit, stragemque, & exitium minitatur Europæ vniuersæ. Et quamquam Nos pro Pastorali nostro munere, ac paterna erga omnes charitate iam inde ab initio nostri Pontificatus nullam humanam operam, quantum in Nobis fuit, prætermisimus rebus componendis, & conci-

conciliandis, eamq; in dies adhibere conamur; Diuinam tamen opem in id implorandam, & cęleste auxilium inuocandum esse duximus, vt afflictationi corporum, & contritioni cordium aptas preces adiungentes, paratam in nos Dei viam preces adiungentes, paratam in nos Dei viam placemus, & accertamus; propitiatur enim Dominus cunctis, qui in toto corde requirunt eum. Hoc autem, vt fructuosius, & maiori cum spiritus ardore peragatur, ex veteri Ecclesiæ Romanę omnium matris, & magistræ more, in præsentibus necessitatibus eiusdem Ecclesiæ thesauros, quorum dispensatores à Domino constituti sumus, proferre, & largissime erogare decreuimus. Itaquè ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti omnes, & singulos vtriusq; sexus Christi fideles tàm in Alma Vrbe nostra, quàm alibi vbicunque locorum constitutos, Apostolica auctoritate paterne, enixeq; requirimus, monemus, & in Domino adhortamur ad infrascripta deuotè peragendum, & adimplendum, & ad Deum Saluatorem nostrum orandum, vt per viscera misericordiæ suæ fidem Catholicam protegere, ab hostium conatibus, & insidijs defendere, hæresim extirpare, Principibus Christianis pacem, & veram cōcordiam donare, ac præcipuè præsentibus Ecclesię necessitatibus subuenire dignetur. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi ex illa ligandi, atque soluendi potestate, quam Nobis Dominus meritis minimè suffragantibus contulit, Vniuersis, & singulis Christi fidelibus in Alma Vrbe prædicta degentibus, qui solemnibus processionibus, quas feria quarta ab Ecclesia S. Susannæ ad Basilicam S. Mariæ Maioris nuncupatam, & feria sexta præsentis hebdomadæ ab Ecclesia nostri Archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia nuncupati ad Basilicam Principis Apostolorum de Vrbe vna cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Christianorumq; Regum, & Principum apud Nos, & Apostolicam Sedem Oratoribus, omnibusq; Pręlatis, & Proceribus, ac vniuerso Clero, & Populo agemus, aut alteri ex Processionibus huiusmodi interfuerint; vel qui in eadem, seù immediatè sequenti hebdomada dd. Basilicas, siuè Ecclesias saltem semel visitauerint, ibiq; deuotè, vt supra Deum orauerint; necnon feria quarta, & sexta, ac sabatho eiusdem, vel sequentis hebdomadæ ieiunauerint, atque peccata sua confessi

sequen-

Digitized by Google

sequenti saltem die Dominico Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reuerentèr sumpserint, & eleemosinas ad libitum, prout charitas singulis suggesserit, fecerint: Cæteris verò omnibus, & singulis fidelibus extrà Vrbem existentibus in quibusuis Ciuitatibus, Terris, & Locis qui processioni ab Ordinarijs locorum, vel eorum Vicarijs, seù Officialibus, vel de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, prima, vel secunda hebdomada postquam ad eorum notitiam hæ nostræ litteræ deuenerint, indicendę, & agendę interfuerint, vel Ecclesiam, seù Ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitauerint, ibique vt supra, Deum orauerint, ac feria quarta, sexta, & sabatho alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis ieiunauerint, paritèrq; peccata sua confessi, ac Sanctissima Communione refecti fuerint, & eleemosinas similitèr pro arbitrio suo fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem sicut in anno Iubilei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Vrbem concedi consueuit, tenore pręsentium concedimus, & elargimur. Nauigantes verò, aut iter agentes, vt cum primum ad sua se se domicilia receperint, suprascriptis peractis, & loco interuentus in processione, visitata Ecclesia Cathedrali, vel maiore, aut parochiali loci eiusdem domicilij, eandem indulgentiam consequi possint, & valeant. Regularibus autem personis vtriusq; sexus etiam in claustris perpetuò degentibus, necnon alijs quibuscunque tàm laicis, quam Ecclesiasticis Sęcularibus, vel Regularibus etiam in carcere, aut in captiuitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seù alio quocunque impedimento detentis, qui supra expræssa, scilicèt ieiunium, eleemosinam, Ecclesiæq; seù Ecclesiarum visitationem, ac interuentum in processione, & oratione, vel eorum aliqua præstare nequiuerint, vt illa Confessarius, quem vt infrà elegerint, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaq; iniungere, quæ ipsi Pœnitentes efficere poterunt, paritèr concedimus, & indulgemus. Cupientes autem omnes Christi fideles participes fieri huius pręciosissimi thesauri, vniuersis, & singulis vtriusque sexus tàm laicis, quàm Ecclesiasticis secularibus, & regularibus cuiusuis ordinis, congregationis, & instituti licentiam concedimus, & facultatem damus, vt sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Præsbiterum Confessa-

rium, tàm secularem, quàm cuiusuis ordinis regularem ex approbatis à locorum Ordinarijs, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & alijs Ecclesiasticis sententijs, & censuris à iure, vel ab homine, quauis causa latis, seù inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis quātumuis grauibus, & enormibus, etiam locorum Ordinarijs, siuè Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiā in litteris die Cœnæ Domini legi solitis, contentis, & aliàs per quascumque nostras, aut Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum Constitutiones, quarum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocunq; reseruatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantum, non tamen à crimine hęresis, absoluere, & liberare valeant; Et insuper vota quæcunque (Religionis, & Castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare; iniuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pęnitentia salutari, alijsq; eiusdem Confessarij arbitrio iniungendis. Quapropter tenore præsentium in virtute Sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, atq; mandamus omnibus, & quibuscunque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscunque Ordinarijs locorum, eorumq; Vicarijs, & Officialibus, vel ijs deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, vt cum pręsentium litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque vlla mora, retardatione, vel impedimēto per suas Ecclesias, & Diœceses, prouincias, Ciuitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, ac Cleris, & populis sibi subiectis solemnes Processiones, & suplicationes indicant, & celebrent, Ecclesiamq; seù Ecclesias visitandas designent. Nō intendimus autem per pręsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seù inhabilitate quoquo modo contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seù habilitandi, & in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiæ; neque etiam easdem præsentes ijs, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seù Iudice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seù aliàs in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publicè denunciati fuerint, nisi infra tempus celebrationis huius iubilei satisfecerint, aut cum partibus concordauerint, vllo modo suffragari posse, aut debere. Non obstantibus Constitutionibus, & ordina-

tionib⁹

tionibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absoluendi in certis tunc expressis casibus, itá Romano Pontifici pro tempore existenti reseruatur, vt nec etiam similes, vel dissimiles Iubilei, indulgentiarum, & facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuique suffragari queant; necnon regula nostra de non concedendis indulgentijs ad instar, ac quorumcunq; ordinum, & congregationum, siuè Institutorum Regularium, etiā iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia quauis firmitate roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ordinibus Congregationibus, & Institutis, illorumq; personis quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si de illis, eorumquè totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seù quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores præsentibus pro sufficientèr expressis, ac formam eorum traditam pro seruata habentes hac vice specialitèr, nominatim, & expresse ad effectum præsentium derogamus, cæterisquè contrarijs quibuscunq;. Vt autem præsentes nostræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deueniant, volumus, vt earundem præsentium transumptis, vel exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, vbiq; locorum, & gentium eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. M. Maiorem sub annulo Piscatoris die 2. Martij 1648. P. N. Anno quarto. M. A. Marald.

Sommario del Giubileo vniuersale concesso dalla Santità di N. S. Papa Innocentio X. per domandare il Diuino aiuto nei presenti bisogni di Santa Chiesa.

LA Santità di N. S. Papa Innocentio X. concede perdono, remissione, e pienissima Indulgenza di tutti li peccati, com'è solito concedersi à quelli, che nell'anno Santo visitano le Chiese à ciò destinate dentro, e fuori di Roma, à tutti li fedeli Christiani dell'vno, e dell'altro sesso, che nella presente, ò nella prossima seguente settimana adempiranno le cose infrascritte, cioè.

Che si trouaranno presenti ad vna

vna delle solenni processioni, che si faranno da N. S. mercordi di questa settimana dalla Chiesa di S. Susanna à termini alla Basilica di S. Maria Maggiore, e venerdi dell' istessa settimana dalla dalla Chiesa dell' Archihospitale di S. Spirito in Sassia alla Basilica di S. Pietro, ouero visitaranno le sudette Basiliche, e Chiese almeno vna volta in vna di dette due settimane, & iui diuotamente pregaranno la D. M. per la protettione, e diffesa della S. Chiesa Catolica, per l'estirpatione dell' heresie, per la concordia, & vnione de Prencipi Christiani, e per le presenti necessità di S. Chiesa.

Et nella feria quarta, sesta, e sabbato d'vna delle due settimane sodette digiunaranno, & in detto tempo daranno elemosina secondo l' arbitrio, e charità di ciascheduno.

Et che nel medesimo tempo d'vna delle dette due settimane confessaranno li loro peccati ad vn Confessore approuato, e si cõmunicheranno diuotamente in vna delle due Domeniche delle dette due settimane.

Quelli, che sono fuori di Roma, conseguiranno l' istessa pienissima Indulgenza de suoi peccati, come nel Giubileo sopradetto, se diuotamente interueranno alla processione da farsi, ouero visitaranno la Chiesa, ouero Chiese da deputarsi dalli Ordinarij loro, ò Vicarij d'essi, ò per commissione delli medesimi, ouero ī loro diffetto da quelli, ch' essercitano nelli luoghi la cura dell'anime.

E se faranno tutte le cose dette di sopra nella prima, ouero nel la seconda settimana doppo che hauerãno hauuta notitia di questo Breue.

Coloro, che saranno nella nauigatione del mare, ouero in viaggio per terra, quando saranno tornati alle case loro, se farãno, & essequiranno tutte le sopradette cose.

Li Regolari dell' vno, e l' altro sesso, che viuano nella clausura perpetuamente, e quelli che sono in carcere, & in cattiuità, ouero impediti per infirmità, ò per qualsiuoglia altro impedimento, e che per ciò non potrãno adempire le sopradette cose, ouero alcune di esse, potranno commutarle in altre opere pie, ouero diferirle à fare, & adempire in altro tempo; purche sia tempo prossimo, e tutto questo ad arbitrio delli loro Confessori.

Parimente alli medesimi fedeli etiamdio Regolari, dell' vno, e dell' altro sesso di qualunque ordine, e Congregatione, dà la facoltà di eleggersi per Cõfessore vn Sacerdote tanto Secolare, quanto Regolare di qual si voglia ordine, ouero instituto, purche

purche sia approuato dall'Ordinario del luogo.

Il qual Confessore possa assoluere essi fedeli da tutte le Sentẽze, e censure Ecclesiastiche contro di loro pronuntiate, e fulminate da Canoni, ò da Giudici per qual si voglia causa, e da tutti li peccati, eccessi, e delitti quã to si voglia graui, & enormi, anco nelli casi tanto riseruati à gl' Ordinarij de luoghi, quanto à S.B. & alla Santa Sede Apostolica, anco nella Bolla solita leggersi nel giorno della Cena del Signore, & in qualunque altre constitutioni de Pontefici Romani, eccettuando però l' heresia; e quest' assolutione habbia luogo, e s'intenda solamente nel foro della conscienza, e per questa volta sola.

E possa il detto Confessore commutare in altre opere pie, e salutari tutti, e qualunque voti (eccettuati però li voti di Religione, e di castità) imponendo nondimeno à detti fedeli, & à ciascuno d' essi penitenza salutare, & altre cose da imporsi ad arbitrio del Confessore.

Mà per la presente non intende S. S. dispensare, ò concedere la facoltà di dispensare sopra alcuna irregolarità publica, ouero segreta, macchia, diffetto, incapacità, ouero inhabilità in qualunque modo contratta ne anco in foro di conscienza.

Ne anco intende, che in qual si voglia modo suffraghi à quelli, che da S.S. e dalla Sede Apostolica, e da qual si voglia Prelato, ò Giudice Ecclesiastico sono stati scommunicati, sospesi, ò interdetti, ouero dichiarati, e denunciati publicamente esser incorsi in sentenze, e censure ecclesiastiche, se fra il tempo di detto Giubileo non haueranno sodisfatto, ò concordato con le parti. Dat. in Roma li 2. Marzo 1648.

In Roma nella Stamparia della R. C. A. 1648.

His positis noto plures differentias inter primum iubileum, & hoc secundum.

1 Prima est circa Processiones, quod in hoc secundo iubileo interuenientes alteri ex duabus processionibus solemnibus à S. D. N. peragendis feria quarta, & sexta, vel visitantes Ecclesias deputatas alternatiuè satisfaciant: quod non erat in primo, in quo enunciabantur processiones sed nil aliud quo ad hoc adiungebatur.

2 Altera est, quod in secundo sufficit interesse vni ex duabus processionibus etiam quod non omnes Ecclesię deputatæ includerentur (si quidem quælibet processio habet pro extremis duas Ecclesias, & clarum est in Vrbe quatuor esse deputatas, & in vna solùm duas compræhendi) quod

quod non erat in primo, in quo nihil de hoc.

3 Item in primo ordinabantur processiones in numero plurali, & iniungebatur Ordinarijs locorum, vt eas indicerent, sicut Romæ factum est: in hoc autem secundo iniungitur Ordinarijs indictio processionis in numero singulari in prima, vel in secunda hebdomada faciendæ, &c. nec adiungitur aliqua particula, quæ inferat similitudinem cũ processionibus Romæ habitis.

4 Item in hoc secundo S. P. districtè præcipit, & mandat in virtute Sanctæ Obedientiæ locorũ Ordinarijs, & ipsis deficientibus ijs, qui curam animarum exercent, vt statim sine vlla mora, retardatione, vel impedimẽto hoc iubileum publicent, aut publicari faciãt: in primo autem extat aduerbium illud (statim) & verb. (mandantes in virtute S. obedientiæ) sine alia adiectione, & verba diriguntur tantùm in Ordinarios quo ad publicationem. Per quod fortè tolluntur nonnullæ quæstiones, de quibus supra par. 3. cap. 1. n. 21. & seqq.

5 Item verba illa præceptiua in hoc secundo iubileo etiam quo ad processiones diriguntur in Rectores animarum, cum tamen in primo verbum (mandantes) solùm in Ordinarios. Quatenus autem in hoc secundo in tex. cõstitutionis ponuntur processiones in numero plurali, dic, ne constitutio sibi contradicere dicatur, quod est pluralitas talis, quæ geminat plures singularitates. vt l. falsa demonstratio. §. fi. ff. de cond. & demonst. & ad materiam, quando vna pluralitas resoluatur in plures singularitates. vide Bar. in l. hæredes. §. cum ita. n. 3. ff. ad Trebell. interdum enim, vt hic, numerus pluralis verificatur in singulari, vt l. cum vxori. C. quam dies leg. ce.

6 Item verba pręceptiua in hoc secundo respiciunt etiam deputationes Ecclesiarum, quod nõ erat in primo.

7 Item circa visitationes vbi agebatur de exteris, ponebantur in primo iubileo aduerbia illa saltẽ semel; in hoc autem secundo bis ponuntur tam vbi agitur de Romanis, & incolis, quam vbi de exteris, quod est clarius, licèt implicitè idem in primo, vt dicitur supra par. 3. cap. 1. n. 29.

8 Item quo ad nauigantes, vel iter agentes circa visitationem Ecclesiarum nihil in primo: in hoc autem secũdo expresse prouisum est, vt visitantes Ecclesiã Cathedralem, vel maiorem, vel Parochialem satisfaciant, si cætera pręstent.

9 Item in primo quo ad prædictos dicebatur (itinere peracto) in hoc secundo habentur hęc verba (cum primum ad sua sese domicilia

micilia receperint) ad quod vide, quæ supra tetigi hac ca. par. 4. cap. 2. per totum.

10 Item circa Ecclesias deputatas in Vrbe clarum est extare variationem, cum in primo tres tãtùm Basilicæ essent visitandæ, idest S. Ioannis Lateranensis, S.Petri Principis Apostolorum, & S. Mariæ Maioris: in hoc autem secundo quatuor, videlicèt Ecclesia S. Susannæ, & Ecclesia S.Spiritus in Saxia, & Basilicæ S. Mariæ Maioris, & S.Petri de Vrbe..

11 Item circa preces, & orationes fundendas extat differentia, vt apertè videtur ex lectura tex. vtriusq; constitutionis. Nec mirum in hoc, quia primum iubileum erat concessum ad vnum finem; hoc autem secundum ad alium.

12 Item circa locum orationis, nam in hoc secundo explicitè infertur de Ecclesijs deputatis, quę sunt propriè loca orationis, & hoc per particulam, & aduerbium locale (ibi) cum tamen in primo dictum aduerbium desit, licèt tacitè intelligatur, vt supra suo loco firmatum est; hic tamẽ non est disputandum, cum exprefsè ponatur.

13 Item circa absolutionem à cẽsuris reseruatis, nam in secundo auctoritas Confessarij non extenditur ad hæresim, cum tamẽ in primo non excluderentur, nisi hæretici, & schismatici specialiter declarati, vel condemnati, vt supra par. 2. §. per præsentes not. 4.

14 Item in hoc secundo nominatur excommunicatio, & suspensio tantum, postea sequuntur alia verba generalia per quæ etiã potest comprehẽdi interdictum vnde propter hoc non erit locus dubitandi, prout factum est supra hac par. 4. cap. 5. n. 33. & seqq. occasione primi iubilei.

15 Item circa ordinem litteræ, nam in primo ponebatur communio in vltimo loco, & in Dominica sequenti, vel alio die sequentis hebdomadæ arbitrio Confessarij: in hoc autem secũdo non est sic, vt aperte videtur cum in vltimo loco ponatur elemosina, licèt quo ad Communionem ponatur Dominica, sed tamen cum particula (saltem) per quam innuitur, quod etiam alio eiusdem hebdomadæ die communicari possit.

16 Item quo ad commutationem operum iniunctorum: in primo omnia, vel aliqua eorum Confessarius ex causa cõmutare, vel differre poterat: in hoc autem secundo secus, nam ieiunium, elemosinam, Ecclesiæ, seu Ecclesiarum visitationem, ac interuẽtum in processione, & orationẽ solùm commutare, vel differre potest, vt expresse habetur in textu huius Constitutionis post vers.

Digitized by Google

vers. Regularibus autem. ibi. supradicta expressè, scilicet ieiunium, eleemosinam, &c. Et licèt quo ad Confessionem, maximè supposita necessitate communicandi, commutatio, vel dilatio non videatur posse fieri, præcipuè si mortalis culpa subsit, tamen iubileum primum, quod erat amplius, verificari potest etiam quo ad hoc, vt dicitur infra n. 26. & seqq.

17 Item in clausulis derogatorijs in hoc secundo ponitur hæc (nec non regula nostra de non concedendis indulgẽtijs ad instar), per quam satis innuitur regulam extare de non concedendis indulgentijs ad instar, quod est singulariter notandum, quæ tamen clausula in primo iubileo non fuit apposita.

18 Tandem hoc iubileum fuit concessum, & expeditũ per Breue sub annulo Piscatoris, cum tamen primum editum sit per Bullam; quæ tamen differentia circa contenta nihil alterat.

19 Præmissis addere iuuat, quod Summarium huius secundi iubilei Romæ impressum, & ad partes transmissum, est in aliquibus diuersum à textu ipso, & tenore Breuis. primo quo ad ordinem litteræ circa opera iniuncta, licèt hoc parum referat.

20 Item circa Communionem in Dominica ibi. E si communicaranno in vna delle due Domeniche delle dette due settimane: ex quibus verbis restringitur cõmunio ad diem Dominicam, & (quod durius est) ad Dominicã præcedentem, quæ propriè est Dominica illius hebdomadæ, dicitur enim iuxta sacrã scripturam, prima sabathi, vel prima sabathorum, quod vix fieri potest, cum sit prima dies publicationis iubilei; & tamen clarum est per verba textus aliud inferri; dicitur enim quod satisfaciẽt, si sequenti saltem die Dominico Eucharistiæ sacramentum sumpserint, quod est valde diuersum à Summario, imo per particulã illam (saltem) videtur posse satisfieri etiam si alio die eiusdem hebdomadæ communicetur.

An autem Dominica in hac materia sit de hebdomada, nec ne, vide quæ tradidi supra par. 3. cap. 5. n. 19. & 20.

21 Item circa visitationem Ecclesiarum quo ad exteros desunt in summario verba (almeno vna volta) prout in textu cauetur.

22 Item in vers. Li Regolari, &c. Summarium non est conforme textui, quia per verba generalia summarij innuitur, vt omnia opera iniuncta possint commutari, vel differri per Confessarium, cum tamen ex textu Breuis excludatur Confessio, & Communio.

23 Item in vers. E possa il detto Confessore commutare, &c. videtur

videtur innui Confessarium, in Comutatione votorum posse imponere pęnitentias salutares, cum tamen illa verba respiciant absolutionem à peccatis, vnde melius esse videtur, si versiculus ille non esset in capite, sed esset sequela prędictorum in versiculo præcedenti ibi. il qual Confessore. quia tunc relatio haberetur ad omnia supradicta respectiuè singula singulis, &c. vt ex verbis positis in tex. satis infertur. & de hoc etiam dicitur supra p. 3. cap. 5. n. 26.

24 Præterea in textu habetur, quod nauigantes, & iter agentes quamprimum ad sua domicilia se receperint, omnibus aliis peractis, & loco interuentus in processione, visitata Ecclesia Cathedrali, vel maiore, aut Parochiali loci eiusdem domicilij, eandem indulgentiam consequi possint; quod tamen non exprimitur in Summario, sed dicitur simpliciter, & generaliter, vt in aliis Summarijs dici solet. se faranno, & essequiranno tutte le sopradette cose, vt apertè videtur in vers. coloro, che saranno nella nauigatione, &c.

25 Ex his sequitur, quod qui non habent textum constitutionis, siuè transumptum, sed tantùm summarium, possunt offendere in multis, maximè quia tāquam Romæ impressa videntur magis fide digna.

Vnde (salua reuerentia quorumcunque, &c.) valde expediret, non permittere in Vrbe imprimi Summaria, nisi prius benè, & diligentèr reuideantur, & conformentur cum textu constitutionis ad effugienda absurda, & scandala, vt etiam tetigi supra pār. 3. cap. 2. n. 13. Vnde cum mysterio fortè ponuntur in tex. verba illa (vt cum præsentium litterarum transumpta, aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim, &c.) & no. trāsumpta, & exempla ad exclusionem Summariorum, quæ non emanant immediatè à S. Pontifice.

26 His igitur prænotatis quæri posset de nonnullis; & primò an dari possit casus, quo confessio commutari, vel differri possit, stante quod in primo iubileo omnia opera iniuncta ex causa commutari, vel differri possent: in secundo autem secus quo ad Confessionem, & Communionem, vndè si casus non daretur, videretur esse concessum, vel superfluum, vel impossibile in primo iubileo, quod non est asserendum. Et dico, si loquamur de commutatione tantùm, non autem de dilatione, vix inueniemus casum, quo id ritè fieri possit, cum commutatio fieri debeat per Confessarium electum, quare Pœnitens si potest petere commutationem à Confessario, cur

cur non poteſt confiteri? præterea aut habet venialia tãtum, aut nulla, aut mortalia aliàs non confeſſa. Si venialia tantum, aut nulla, nullam habet cauſam petendi commutationem, cum poſſit alia via ſatisfacere pro remiſſione peccatorum licèt pro aquirendo iubileo cum ſit onus, & conditio adimplenda aliter concluſum ſit ſupra par. 3. cap. 5. n. 10. & ſeqq. vnde cum non ſubſit cauſa iuſta, videtur impertinens, & temerarium petere cõmutationẽ. Si verò habet mortalia, vt ſupra, clarum eſt debere neceſſariò præmitti confeſſionem etiam ad effectum communicandi dignè, & decentèr, vt aliàs firmatum eſt; niſi fortè dicamus dari poſſe, Confeſſarium eſſe talem, ſiue talis conditionis vt pęnitens iuſtam cauſam habeat tacendi aliquod peccatum, vt tangit Bonac. de ſacram. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. punc. vlt. n. 3. & 4. quo tamen caſu ſi peteretur, eſſet commutanda confeſſio in aliam confeſſionem faciendam alij Sacerdoti, quod tamen petere eſſet ſcãdaloſum ſaltem penes Confeſſarium, vnde ſi alio Confeſſario talis pęnitens careret, poſſet fateri ſolùm ea, quæ liberè, & ſine timore, vel ſcandalo aperire poſſet, & cęterorum concipere debitum dolorem cũ propoſito confitendi, quando, &c. & ſic communicare, & ſatisfacere, vt alibi firmatum eſt, vnde nec in hoc caſu intrat cõmutatio, ſi bene aduertatur.

27 Si verò quæramus an differri poſſit confeſſio, in hoc reſpondeo affirmatiuè, & conſequenter etiã Communio, puta ſi quis haberet inimicitias capitales, & eſſet in tractatu pacis, poſſet confeſſio differri vſque ad concluſionem, & in tempus proximum vigore primi iubilei, cum ſecus vigore ſecundi. Idem dico, ſi Pęnitens eſſet adeo male affectus, vt mentis non eſſet omnino compos, vel aliter malè diſpoſitus ex vi morbi, vel alterius cauſæ à Confeſſario iudicatę iuſtę, vt ſine magno incommodo, vel damno ob difficultatem loquẽdi, vel debilitatem capitis confiteri non poſſet; hoc enim caſu ſecundum nõnullos DD. poſſe dimidiari confeſſionem tradit P. Auerſa de pęnit. q. 10. ſect. 15. poſt verſ. quintus caſus. vnde tanto magis cõfeſſio poterit differri, vt completè fiat ſecluſo omni periculo vitæ; dato enim impedimento intrat facultas differendi in tempus proximum, vt dictum eſt ſupra in caſu, de quo in cap. 1. huius par. n. 12. & latè cap. 3. per totum, quid enim, ſi Pœnitens eſſet in termino tali, vt non poſſet confiteri, niſi pluribus audientibus? ad quod cum non teneatur, meritò dilationem petere poterit, vt ſecretò ſeruatis ſeruãdis con-

dis con-

Digitized by Google

dis consulere possit propriæ saluti. Quid etiam si velit iustis de causis confessionem generalem facere totius anteactæ vitæ, vel saltem magna ex parte, & hoc requirat tempus longum? vnde si in his, & similibus casibus cõfessio potest dimidiari iuxta mẽtem DD. teste eodem Auers. vbi supra vers. tertius casus. & vers. octauus casus. quare non poterit differri, vt integrè fiat, vt est de iure? citra tamen periculum, vt supra. Hoc autem intelligo in terminis primi iubilei, non autem secundi. Quod autem circa communionem debitam possit proprius Sacerdos ex causa eam differre est tex. in term. in c. omnis de pęnit. & remiss.

28 Ex his ergo sequitur, si in primo iubileo concedebatur facultas commutandi, vel differendi omnia iniuncta, in hoc autem secundo nõ omnia sed aliqua, hoc sm̃ esse strictius altero: primum tamen bene, & cũ effectu concessisse talẽ facultatem commutandi, vel differendi, quia si quo ad confessionẽ non videatur omnino verificari posse commutatio, verificatur saltẽ dilatio, & sic benè, nã in alternatiuis sufficit vnã tantum verificari. l. si ita quis stipuletur. ff. de ver. obl.

29 Vnum volo dicere, & relinquere cogitandum, & est, quod clarum est, Confessionem requiri pro onere conditionali, & sic de necessitate adimplendo ab eo qui vult lucrari iubileum, vt firmaui supra par. 3. in princ. à n. 1. vsque ad 5. Hoc supposito dico, si detur casus, vt quis sit omninò absque peccato (quod vix dari potest) quare iste iustus, qui si prætermittit Confessionem, est in periculo non lucrandi iubileum, non potest petere à Confessario electo commutationem Cõfessionis in aliud opus, puta peregrinationis, vel aliud pietatis, & misericordiæ? siquidem hic non habet materiam necessariã ad Sacramentum Pœnitentiæ, imò nec sufficientem, stãte quod sibi non complaceat iterare iam confessa, ad quæ non tenetur, & consequentèr habet iustam causam petendi commutationem absque eo, quod in hoc aliqua erubescentia efficiatur, vt contingeret, si peccatum aliquod haberet, quo casu huiusmodi petitio non esset sine scandalo Cõfessarij, vt supra tactum est, & in hoc puto dari posse casum, quo Confessio commutari possit in aliud opus. & si obijciatur, quod talis Confessarius non tenetur credere illum esse sine peccato; Resp. quod si id eidem exponat, prout fieri solet, in Confessione, & cum actu deuotionis, & humilitatis, tenetur eidem credere, vt clarum est: in foro enim conscientiæ, & pęnitentiali creditur asserenti tam pro se, quàm contra se,

Digitized by Google

vtrum qui aliquod peccatum reſeruatum commiſit ſub ſpe iubilei, mereatur abſolui, & beneficio iubilei potiri? Et videtur, quod non, quia ſi tali peccanti iubileum ſuffragaretur, eſſet dare materiam, & occaſionē peccandi, quod eſt valde abſurdum, ergo non concedendum; omnis enim diſpoſitio materiam delinquendi tribuens eſt nulla; vel certè ità reſtringenda, ne illā præbeat. vt l. conuenire. ff. de pact. dota. & c. ex parte. de conſuet. & in ſpecie, quod peccans ſpe indulgentiæ conſequendæ non poſſit eam conſequi, facit c. ſanè. de pœnit. diſt. 3. vt tangit Nau. de iubil. not. 34. ſub n. 4. & n. 6.

Quo tamen non obſtante, idē Nau. doctè, & egregiè concludit contrarium, & reſpondet ad obiecta: quod tamen limitat non procedere, ſi in Bulla iubilei exprimeretur, ne ſpe illius peccantes eius beneficio vterentur. d. n. 6. per tot. vbi vide plura notatu digna.

33 Interrogatus in caſu occurrenti his diebus, vtrum capere poſſit hoc iubileum quidam, qui ex Feretrana Diœceſi de propria patria diſceſſit in principio hebdomadæ primæ in qua ibi publicatum eſt iubileum, & acceſſit huc in Diœceſim Ariminen. in qua iam eſt penitus expletum etiam pro ſecunda hebdomada.

Reſpondi nō poſſe capere nec in Diœceſi Arimini, vbi iubileum non viget, nec in Feretrana Diœceſi, ſi ibi ſaltem non viſitat Eccleſias deputatas, & ibi orat, &c. & adimplet alia adimplenda. & dixi (ſaltem) quia ſi viſitaſſet Eccleſias in Patria deputatas, & ibi preces effudiſſet iux. mentem ſummi P. cętera adimplere poſſet etiam alibi, quia nihil obſtat in contrarium, vt ex ſupra traditis ſuis locis. Vndè cum talis non longè diſtetà patria, cum Diœceſes ſint contiguę, eidem ſuadendum duxi ad patriam redire ſaltem ante ſabathum ſecundæ hebdomadæ, & interim in eadem hebdomada ieiunare feria 4. & 6. ac ſabatho itavt poſt reditum poſſit antequā ſabathum ſpiret, viſitare Eccleſias ſaltem ſemel, & ibi orare, cū confiteri poſſit etiam extra Diœceſim, & eleemoſinas facere, reſeruādo ſaltem communionem pro die Dominico ſequenti iux. tex. Breuis Apoſtolici, & ſic faciens, omnia tempore debito adimplebit, & conſequentèr iubileum lucrabitur, prout ſic egit quia tanquam deuotus, & pius cęleſti hoc theſauro pro ſalute animæ ſuæ priuari noluit.

34 Sęd quid, ſi inde diſceſſiſſet āte publicationem iubilei, & alibi iubileum iam expiraſſet. dico, quod ſi iſte actu iter faceret, intraret priuilegium iter agentium,

Digitized by Google

tium, de quo supra hac ea. par. 4. cap. 2. quod est priuilegium dilationis temporis.

Si vero maneret pro aliquo negotio, vel animi gratia, posset sibi consulere vt supra n. pręced. quæ tuta resolutio est. Si verò negotium cogeret, & esset valde releuans, fortè posset gaudere priuilegio iter agentium, de quo supra d. cap. 2. per totum. quia videtur eadem ratio, vnde nec videtur difforme à mente S. P. qui, quantum potest, vult omnes posse lucrari iubileum: Vnde quamprimum potest se à negotijs liberare, redire poterit in patriam, & ibi iubileum lucrari, seruatis omnibus seruandis; quod puto satis probabile.

35 Vel melius stante qualitate negocij valde releuantis, hic vtique dicetur impeditus, vnde intrabit regula impeditorum, de qua supra hac ea. par. 4. cap. 3. per totum. Sed aduerte, quod priuilegium impeditis concessũ non est in forma gratiosa, sed cõmissaria, vnde erit ei necesse eligere Confessarium etiam vbi ipse reperitur, quod facere potest, vt supra in corpore tractatus suo loco firmatum est, à quo Confessario fiat ei dilatio in tempus proximum iuxta tradita supra d. cap. 3. & hæc erit via tutior.

Quòd autem talis dici possit impeditus, non dubito, stante negotio releuante, & causa iusta ibi manendi, cum verba in constitutione posita satis aptentur, vt in §. vt autem. ibi. aut ob aliud quodcunque impedimentum prędicta adimplere nequiuerint. clarum est enim talem sine magno incommodo, & dispendio tunc adimplere non posse, quod videtur sufficere, vt satis impeditus dicatur. arg. l. nepos proculo. ff. de ver. sign. maximè si etiam licitè inde discedere non posset. arg. c. 1. de reg. iu. in 6. iunc. glo. quod magis puto verũ in hoc casu, quia sumus in materia fauorabili ad salutem, quę pro fidelibus est omninò ampliaanda, vt pluries supra firmatum est, & infra cap. seq. sub n. 40.

CAPVT SEPTIMVM.

SVMMARIVM.

Annus proximus 1650. erit annus iubileus, siue iubileum ordinarium, & annus Diuino cultui dedicatus, & vulgò Annus sanctus. & quare, in princ. & n. 1.

Hæc vox Iubilei modò pronunciatur in genere neutro, modò in masculino, & modò in feminino, n. 2. remissiuè.

Annus iubileus vnde dictus, n. 3.

Annus centesimus concessus à Bonif. 8. pro indulgentijs, reductus fuit ad 50. & à quo, & dictus annus iubileus, & quare, n. 4. 5. & 6.

Annus noster iubileus non solum est ad quandam similitudinem anni iubilei hebreorum, sed imò excellentior, n. 7.

vbi no-

Digitized by Google

Quoties

Digitized by Google

Caput VII.

ET quia annus 1650. appropinquat, & erit annus iubileus, siuè Iubileum ordinarium, quod speratur felicitèr indicendum à S. D. N. D. Innocentio Decimo, quem Deus tũc sanum, & incolumem reddat ad D.M.S. gloriam, eiusdem Sanctissimi decus, & fidelium omnium salutem, de Iubileo ordinario addenda duxi nonnulla à multis scitu, & notatu digna: Sed pro faciliori dicendorum intelligentia Præmitto.

1 Quòd Annus iubileus (seù Iubileum ordinarium) est annus Diuino cultui dedicatus, ac feruentioribus Christianorum pietatis studijs destinatus, annus remissionis, & veniæ, tempus acceptabile, dies salutis, vt cauetur in Const. Vrb. viij. quæ est Bulla iubilei ordinarij proximæ præteriti, quæ incipit Omnes gentes,

Digitized by Google

gentes, vndè meritò vulgo vocatur Annus Sanctus, nam eo anno ad hominum sanctificationem tot beneficia cęlitus permanant, vt penè omnes sacros thesauros in Christi fideles diuina munificentia diffundere videatur, vt ex ea. const. elicitur.

2 Quod autem nomen hoc modo in genere masculino, modo in neutro, modo etiam in fęminino pronuntietur, dixi supra par. 1. cap. 1. n. 7. & 8.

3 Item pramitto, quod Annus iubileus, qui à Iobel secundum Nau. quæ est vox hebrea, dictus est, per Clem. sextum fuit institutus quolibet quinquagesimo anno ad similitudinem hebreorum, qui annum iubileum celebrabant solemnitèr per trad. in Leuit. cap. 25. per hæc verba. Sanctificabis annum quinquagesimum, & vocabis remissionē cunctis habitatoribus terræ tuę; ipse est enim iubileus: reuertetur homo ad possessionem suam, & vnusquisq; redibit ad familiā pristinam, quia iubileus est, & quinquagesimus annus. hęc ibi. & ità ex extrau. vnigenitus, quæ est inserta in extrau. Dudum. de pœnit. & remiss. & tradit Nau. in Coment. de iub. not. 4. sub n. 2. & tactum est supra par. 1. cap. 1. n. 3. Dixi à voce iobel, nam propter hoc Nau. profert iobeleum, vt dixi supra d. cap. 1. n. 1. & 2. & aptius secundum eum, licèt communitèr proferatur iubileum.

4 Item præmitto, quod Annus centesimus pro indulgentijs concessus à Bonifacio viij. qui nullam facit mētionem de iubileo, meritò per Clem. vj. reductus fuit ad quinquagesimum propter significationes, vt supra, quod a Bonifatio, & cęteris Pontificibus prædecessoribus non fuit habitum in consideratione, vt elicitur ex initio d. extrau. dudum, & ex Nau. d. not. 4.

Dixi (concessus à Bonifacio) quia sic loquitur tex. d. extrau. dudum. & quia Bonifacius annum quemlibet centesimum pro indulgentijs primus in scriptis redegit iux. Nau. d. not. 4. sub n. 1. non enim ipse fuit inuentor cum supponat, indulgentias aliàs per Prædecessores concessas, vt ex contex. extrau. 1. d. tit. de pęnit. & remiss. quæ est eiusd. Bonif. viij. & tradit ibi glo. & vidę Nau. vbi supra not. 1 n. 11.

5 Dixi (meritò reductus fuit ad quinquagesimum) quia propriè ex eo dicitur annus iubileus, iux. ea. quæ scribit Polyd. Virg. de inuento. rerum lib. 8. cap. 1. sub fi. quatenus ait. Annum quinquagesimum esse verè iubileum, & sequitur Nau. vbi sup. not. 1. sub n. 3.

6 Dixi (propter significationes) quia annus hebreorum diceba-tur iubileus, eo quod vox iobel

varia

Digitized by Google

varia anno iubilei competentia, & illum respicientia significat, vt dixi supra par. 1. cap. 1. n. 5. & ex verbis Leuit. relatis supra, & traditur hic n. prox. seq.

7 Item premitto, quod Iubileum ordinarium, siuè annus iubileus ab Ecclesia institutus nõ solùm est ad similitudinem quãdam anni iubilei hebreorum, sed imò omninò excellentior; nam annus ille buccina prænunciabatur, hic autem voce Apostolica, nam per Vicarium Christi indicitur, videlicèt per promulgationem Bullæ indictionis, & successiuè per Ministros legitimos vbique locorum, in illo labor colendi terram omittebatur in hoc labor proprius excusatur propter laborem, & merita Christi, & Sanctorum: in illo debita temporalia, in hoc spiritualia condonantur: in illo libertas tẽporalis, in hoc spiritualis restituitur: in illo possessiones terrenæ alienatæ recuperabantur, in hoc virtutes, & merita per peccatum perdita redintegrantur: in illo deniquè exules in patriã redibant; per hunc exules à Cęlo, quæ patria nostra est, & in hac lacrimarum valle pererrantes, habiles euadimus, quo ad eandem reducamur. ità Nau. not. 4. in fi. & magna ex parte ex tex. Bullæ iubilei proximę prę teriti Vrb. viij. & tactum est supra par. 1. cap. 1. n. 6. & tangit etiam Rodriq. par. 1. cap. 184. n. 1.

8 Item præmitto, quod non mirum, si apud hebreos annus quinquagesimus erat celeberrimus per trad. in Leuit. cap. 25. & Num. cap. fi. quia etiam apud eos illo spatio quinquaginta annorum dimensio fiebat annorũ à Protoplasto, & sic à creatione mundi. & notandum, quod sicut fuit statutum à Deo, quod inter dies septimus quisque, videlicèt sabathum obseruaretur; & inter quosq; menses septem cuiuslibet anni, septimus esset sabathum mensium, in quo solemnia sacra agerentur, quæ sabatha sabathorum dicebantur; & inter annos septimus quisq; ità obseruaretur, vt terra eo anno vacaret: sic etiam statutum fuit, vt quicunq; annus, qui proximus septem annorum hebdomadas sequeretur, hoc est quinquagesimus, iubileus diceretur, vt ex contex. & glo. d. c. 25. Leuit. colligitur in illis verbis. *Numera tibi septem hebdomadas annorum, idest septies septem, quę simul faciunt quadraginta nouem, & clanges buccina mense septimo, & sic in quinquagesimo anno*, vt tradit Nau. d. not. p. n. 4. & 5.

9 Item præmitto, quod quicquid sit circa similitudinẽ anni quinquagesimi veteris testamenti, hodie retenta nuncupatione iubilei, &

bilei, &

bilei, & proprietate eiusdem per omnia, quilibet vigesimus quintus annus est annus iubileus, indulgentiarum, & remissionis cũ omnibus priuilegijs, & requisitis anni quinquagesimi: & hæc reductio prouida quadam moderatione, & rationabilibus de causis, ac de consilio Ven. Frat. S. R. E. Cardinalium facta fuit à Paulo secundo, promulgata autem propter eius superuenientem mortem à Sixto quarto eius immediato successore. vt in extrau. quemadmodum. de pęnit. & remiss. expressè cauetur.

10 Item præmitto, Indulgentiã esse multiplicem, de qua materia latè suprà par. 1 cap. 5. n. 2. & seqq. vbi n. 29. vide, an differentia sit inter indulgentiam, & iubileum.

11 Tandem præmitto, Iubileum cuiuslibet anni Sancti esse vniuersale saltem quo ad personas illud aquirere volentes, licèt nõ quo ad locum, cum restringatur ad Vrbem Romam, quamuis etiam hoc respectu quodammodo dici possit vniuersale, cum Vrbs sit caput Orbis, & patria communis, & vniuersalis omnium, & quodàmmodo mundus paruus, & micocrosmus, & punctus, ad quem terminantur lineę totius Orbis. Principatum enim, & caput obtinet nationũ, secundum D. Ambros. iux. tex. in c. Beati. 2. q. 7. præterquam quod Ecclesia Romana est mater, & magistra omnium Ecclesiarum. Conc. Trid. sess. 7. can. 3. & c. 3. sess. 14. de inst. sacr. extr. vnct. & c. 8. sess. 22. de sacrif. missæ, & quod sit mater, & caput omnium Ecclesiarum. habetur etiam in c. 1. & 2. 12. dist. & 3. q. 6. ca. dudum.

Quando autem incipiat, & quando terminetur annus Sanctus, Dic, quod à Vigilia Natiuitatis Domini, seù à primis Vesperis eiusdem, quod erit initium anni 1650. & spirat in vigilia post Vesperas reuertentis anni, vt habetur in extrau. quemadmodum de pœnit. & remiss. & in const. Greg. xiij. quæ incipit Dominus, ac Redemptor noster. & nouissimè in const. Vrb. viij. incip. Omnes gentes.

Aduertendum tamen est, quod licèt præpositio (à) secundum suam propriam significationem excludat tempus, cui adiungitur. iux. glo. communitèr receptam in Clem. sicut. ver. à die de appella. hic tamen contrariũ significat, nam annus iubileus incipit ab aperitione Portæ Sãctæ, quæ fit immediatè ante primas Vesperas Natiuitatis, vndè statim aperta seruatis seruandis ingreditur S. P. cum toto Collegio Eminentissimorum DD. Cardinalium, cum Prælatis S. Ecclesiæ, & toto Clero, & populo, & statim in Basilica S.

Petri solemnissimè cantanturvesperæ. Quæ ceremonia seruatur etiam in claudenda porta sancta post primas vesperas sequentis Natiuitatis Domini, quæ est finis anni sancti,& initium futuri: Vnde idem est dicere à Vigilia Natiuitatis, seu à primis vesperis Natiuitatis, quod dicere à tempore, quo in vigilia Natiuitatis celebrantur vesperæ præmissa aperitione portę sāctę,&sic intellige illa verba inclusiuè, nō autem exclusiuè, vt benè aduertit Nau. de iub. not. 24. n. 3. & not. 32. n. 36. in ver. à primis vesp. & not. 34. in fi.

An autem sufficiat ad aquisitionem iubilei ingredi Ecclesias deputatas etiam per alias portas præter Sanctas, Dic, quod est valdè congruum, & deuotioni consonum introire per Portas sanctas cuiuslibet Ecclesiæ, sed tamen non necessarium, cum iniungatur solum visitatio Ecclesiarum, quæ verificatur per ingressum cuiuscunque portę, & idem tenet post Gratia. & Filiuc. Alf. de leo. par. 1. diffic. 2. n. 156.

Quot autem, & quæ requirātur ad validitatem Iubilei ordinarij, dixi supra par. 1. cap. 6.

12 His igitur præmissis, quęritur, quæ indulgentia concedatur in Anno iubileo. Resp. quod plenissima, ita vt maior desiderari non possit. ita in d. const. Clem. 6. dudum. & Sixti iv. Quemadmodum; & in const. cęterorum Pontificum, & nouissimè Vrbani viij. Omnes gentes. Vnde idē speratur etiam concedendum in constitutione emananda pro futuro anno 1650. prout erat quolibet centesimo anno iux. const. Bonif. 8. quæ est 1. inter communes de pęnit. & remiss.

13 Item quæritur, ad lucrandā Indulgentiam Iubilei quæ, & quot requirantur, & dic tria, videlicet primo quod quis sit verè pęnitens, & confessus. 2. quod visitet quatuor Ecclesias Vrbis in Bulla expressas. 3. quod oret pro fidelium, & totius populi Christiani salute. ita in vltima allegata const. Vrb. & tradit etiā Alf. de leo. in tract. de offi. & pote. confess. temp. iub. par. 1. in quæst. prohem. n. 53. & ad materiam vide eund. Alf. d. p. 1. q. 1. 2. & 3.

Benè verum est, quod per Bonif. 8. fuerunt designatę duę Ecclesię tantum, nempe Basilica S. Petri, & Basilica S. Pauli pro quolibet anno centesimo ad aquirēdam indulgentiam plenissimam. à Clem. 6. tres, nempe prædictæ duæ, & Basilica S. Ioannis in Laterano pro quolibet quinquagesimo anno Iubileo ad dictum effectum; & tandem à Paulo secundo, & Sixto quarto quatuor Ecclesiæ, nempe prædictæ tres, & Ecclesia S. Marię Maioris pariter

Digitized by Google

riter ad dictum effectũ pro quolibet vigesimo quinto anno iubileo, vt per easdem const. respectiuè clarè constat. & has quatuor etiam nouissimè posuit Vrbanus viij. in d. const. Omnes gentes. vt omittam alios Prędecessores. fateor tamen attendẽdum esse tenorem constitutionis super hoc emanandæ.

Nec obstat, quod sint, qui dicant, quatuor requiri ad effectũ lucrandi iubileum, & tribus pręndictis addunt quartum requisitum, scilicet peregrinationis versus Vrbem; & malè, quia præterquamquod respicit exteros, & peregrinos tantum, hoc etiã supponitur in tertio requisito, nam ad positionem consequentis sequitur positio antecedentis. l. illud ff. de aqui. hęred. & l. ad rem. ff. de procu. & hoc idẽ tenet etiam Alf. vbi supra n. 54.

14 Item quæritur, an, cum concedatur indulgentia iubilea verè pęnitentibus, & confessis, requiratur actualis confessio. & dic breuiter cum Alf. de leo. d. tract. de effi. confess. par. 1. q. 1. post longam disputationem diuersarum opinionum, quod requiritur actualis confessio, & hæc est probabilior sententia, & tutior, quam contraria, & ideo amplectenda. vide per te ibi à n. 56. vsque ad 68. inclusiuè, vbi nu. seqq. vide ampliationes, & limitationes. hic sufficiat tantum tãgere punctum; & dixi latè supra in tract. suo loco. vide tamen, quæ dicuntur infra n. 35. vsque ad fi. & 36.

15 Item quæritur, an hoc intelligatur de omni confessione, Dic, quod hoc intelligitur de confessione sacramentali, & consequẽter valida; aliàs nihil fieret, vt est certũ apud omnes teste Cordub. quem allegat, & seq. idem Alf. vbi sup. n. 73. Non est tamẽ necessaria cõfessio generalis totius anteactę vitæ, sed sufficit cõfessio eorum peccatorum mortalium, quæ quis commisit post vltimã confessionem validam, vel ante, quæ nunc meminit non aperuisse in confessione, vt subdit idem Alf. vbi supra n. 74. & tradidi supra par. 3. cap. 5. n. 24. vbi agitur de iubileo extraordinario, nam in hoc est eadem ratio, ergo, &c.

16 Quid autem, si quis habet tãtum peccata venialia, aut nulla dixi sup. eo. cap. 5. à n. 10. vsq. ad n. 15. inclusiuè.

17 Dixi de confessione sacramentali, & consequenter valida, nã ex illis verbis (verè pęnitentibus, & confessis) elicitur, vt bene aduertit idem Alf. vbi sup. n. 78. vbi etiam idem per alias rationes; & est conclusio clara apud omnes, vt ibi subditur.

18 Sed quid si sit inualida non ex parte Pęnitentis, sed ex parte Confessarij, qui ex malitia, vel incogi-

incogitantia non absoluit. Alf. d. par. 1. n. 8. tenet idem quod supra, vbi tamen supponit Pęnitentem accessisse ad confessionẽ cum sola attritione, & non mirũ, quia hic virtute clauium, quę deficit, non potest dici, quod ex attrito fiat contritus, vnde dat cautelam (quã bene nota) quod communicet, quia per accidens etiam tale Sacramentum cõfert primam gratiam ei, qui inuincibiliter putat se esse in gratia, quę actu requiritur in illo instanti, quo quis lucrari debet indulgẽtiam, & vide, quę scripsi infra n. 25. & 26.

Quid autem sit quo ad reseruationem censurarum, vel casuum (& suppono talem Pęnitentem aquisiuisse indulgentiam) Alf. respondet affirmatiuè, quia si recipit indulgentiam, ergo etiam tollitur omnis reseruatio, quod est effectus indulgentię iubileæ. ità Alf. d. par. 1. nu. 82. Quod intellige, si adhibeatur Cautela prædicta, qua tamen licèt detur prima gratia, non ex hoc videtur sequi, quod per eã tollatur omnis reseruatio, quæ solùm tollitur per generalem absolutionem tempore iubilei, vt supra cap. 5. n. 44. & 79. Cogita.

19 Sed quid de confessione informi? Dic, quod non sufficit ad lucrandum iubileum, nisi recedat fictio ante vltimum opus, & sic ante vltimam visitationem. Vide eundem Alf. d. par. p. nu. 83. & adde quæ tradidi supra hac par. 4. cap. 5. sub n. 84. vers. in qua tamen. Licèt autem Alf. ponat visitationem pro vltimo opere, ego tamen facio aliam considerationem, de qua vide infra n. 21. & 22.

Quæ autem dicatur confessio informis, dixi supra d. cap. 5. n. 84.

20 Item quæritur, an sit necessarium, vt quis sit confessus ante visitationes? Breuitèr dic, quod non, nam sufficit, quod id quis adimpleat ante vltimam visitationem, & sic ante vltimum opus, in quo quis debet esse in gratia, quæ actu requiritur in illo instanti, in quo est aquirenda indulgentia; est communis conclusio, licèt quo ad confessionem sint, qui tenent contrarium, ad trad. per eundem Alf. d. q. 2. n. 85. & Nau. de iub. not. 32. n. 39 & quæ supra firmata sunt par. 3. cap. 1. n. 12. 13. 14. & 15. Bene verum est, quod expediret valde confiteri ante iter arreptum, vel saltem propositum firmum concipere id faciendi, cum primum Romam peruenerit, vt ex Nau. vbi supra. Vnde cum opiniones sint hinc inde contrariæ, videlicèt, quod necessaria sit confessio ante visitationes, & quod sufficiat, si ante vltimam fiat, conciliari possunt inter se, vt prima procedat de consilio, secunda autem de

tem de necessitate. vt etiam tangit idem Alf. vbi supra n.85.

21 Ex his infertur, quod casu quo oratio sit vltimum opus, vt de sui natura esse debet, sequitur, quod quis satisfaciat etiam in vltima visitatione, si ibi confiteatur, & posteà oret iuxta mentem S.P.

22 Quod deseruiret etiam ad indulgentias, quæ passim conceduntur ijs, qui confessi, & sacra Communione refecti visitauerint talem Ecclesiam, & ibi ad Deum pias preces effuderint pro fælici statu S. R. E. &c.

Nam licèt videatur mens S. P. esse, vt quis primò sit confessus, & sacra communione refectus, & sic visitet, & oret, tamē cum simus in fauorabilibus animæ sufficit, si visitetur Ecclesia, & ibi quis confiteatur, vel reconcilietur, & communicet, & postea oret iuxta mentem, &c. nam implet omnia iniuncta, & ante vltimum opus, quod est oratio, reperitur in gratia, vnde indulgentiam indubitantèr lucratur per præmissa, & in hoc non puto ambigendum; est enim communis sententia omnium DD. subordinationem operum non esse necessariam, sed tantùm, vt quis reperiatur in gratia ante vltimū opus, vt supra in pluribus locis firmatum est. quod bene no. contra scrupulosos.

23 Item quæritur, an qui inter visitationes incidit in aliquod peccatum mortale, teneatur reiterare visitationes, vel possit eas continuare. Responsio patet ex præcedenti conclusione, nempè non teneri, sed posse continuare visitationes, & tradit etiā Nau. sub d. n.39.

24 Item quæritur, quis dicatur verè pęnitens (nam requiritur, vt quis sit verè pęnitens, & confessus, vt supra n. 13.) & dico, quod is dicitur verè pęnitēs, qui veram contritionem habet: Cōtritio autem est pęnitudo voluntaria cum dolore maximo actuali, vel virtuali peccati proprij iā commissi, quatenus est offensa Dei super omnia dilecti, cum spe veniæ, & proposito non peccandi amplius, saltem mortalitèr, & confitendi, & satisfaciendi, vt minimum virtuali. vt doctè tradit Nau. in man. cap. 1. n. 1. vbi seqq. nu. vide declarationes singulorum verborum, & benè no. & vide eundem de iubil. not.32. super Bulla Greg. in uer. pœnitentes. n. 40. ubi subdit, quod non solùm requiritur, ut pęnitenti adeò displiceat peccatum mortiferum, ut formalitèr, uel uirtualitèr mallet omnia mala pœnæ etiam ipsam mortē corpoream tolerasse, quam illud admisisse, & ob illud gratia Dei amissa, eius inimicitiam capitalem incurrisse, sed etiam mallet formalitèr, uel uirtualitèr potiùs

iram

Digitized by Google

iram omnium Regum, & Principum, Cognatorum, & amicorum incurrere, & omnia mala etiam mortem corporalem sibi obuenire, quam illud mortiferū, quod fecit, iterare, vel aliud simile admittere; aut saltem ex animo dolere, quod ad tàm generosam pęnitudinem non potest omninò peruenire. vide ibi.

Non tamen talis Pœnitens tenetur credere, se nunquam id amplius facturum, vt ibi subditur ad solatium verè pęnitentiū; quæ bene no. Vbi tandem concludit, quod vt pęnitudo peccati perueniat ad gradum contritioni necessarium, oportet, Pœnitentem plus odisse peccatum, quam quoduis malum pœnę odio dignum.

25 Sed quid, si pęnitens sit tantum attritus (quod enim supra dictum est, conuenit verè contrito, vt clarum est) nunquid talis erit legitimè, seù sufficientèr dispositus? Dic, quod cum hic requiratur, vt quis sit verè pœnitens, & confessus, sequitur, vt si habeat attritionem talem, quæ sufficiat ad Sacramentum pœnitentiæ obtinendum, satisfaciat, nam virtute clauium tūc ex attrito fiet contritus: alias attritio etiam sufficiens ad sacramentum pœnitentiæ non sufficiet, si actu non recipiatur sacramentum, tunc enim non dicitur verè pęnitens, ità vt si casu aliquo repentino impediatur, vt cōfiteri non possit, non sit capax indulgentię, nisi tunc aliud sacramentum recipiat: eo enim casu calore sacramenti, si non virtute clauiū, ex attrito per accidens fiet contritus, vt tetigi alibi, & tradit Nau. in man. cap. 1. sub n. 42. & ad materiam vide eundem Nau. d. cap. 1. n. 33. & 34. vbi quæ attritio sufficiens, & quę nō: vbi etiam n. 35. concludit, eum, quem iure, & ex animo pœnitet mortalitèr peccasse, & statuit in posterum nunquam amplius peccare ob id principalitèr, quod peccatum est offensa Dei, & credens sine crassa ignorantia, suum dolorem esse sufficientem, & confitetur Sacerdoti, ac recipit sacramentalem absolutionem, satisfacere confessioni; & gratiam etiam consequi, & misericordiam à Patre gratiarum. Et dixi ob id principalitèr, quod peccatum est offensa Dei, quia requiritur aliquis motiuus supernaturalis, vt attritio sit sufficiens tàm quo ad valorem sacramenti, quàm quo ad effectum remissionis, & gratię; & intelligo saltem implicitè. nec dissentit P. Auers. qui optimè tangit hanc materiam. de sacr. pœnit. q. 14. sect. 6 vbi vers. quintus casus. dicit, quod accusatio peccati debet esse talis, vt participet de genere moris, & saltem implicitè referatur ad Deum, & per se retractet, ac

ctet, & deteſtetur præteritam voluntatem. & vide optimum tex. in Conc. Trid. ſeſſ. 12.cap. 4. de contritione verſ. illam verò. tunc enim dicitur, quod ex attrito fit contritus, virtute ſcilicèt clauium, vt tangit idem Nau. vbi ſupra ſub n. 44. ex attrito autem fieri contritum quomodo intelligatur, vide plenè eundem Auerſ. vbi ſupra q. 2. ſect. 15. verſ. ſexto demum. Et quod attritio ſufficiens ad petendam abſolutionem ſacramentalem reddat pęnitentem diſpoſitum, & talem, vt dicatur verè pęnitens, ſi actu ſacramentum pœnitentiæ recipiat, tradit in term. etiam Alf. par. 1. ſub nu. 67. & hoc bene nota.

26 Dixi (per accidens) quia ſacramentum Baptiſmi, & Pęnitētiæ ſolùm dicuntur ſecundum Nau. in man. cap. 1. nu. 43. ſacramenta ordinata ad ſanandū, cętera ad ſanitatem conſeruandam, & augendam, vel ſecundū alios prima duo dicuntur ſacramenta mortuorum, cætera autē viuorum, quia duo prima conferunt ex ſe primam gratiam, cętera autem per accidens, quando quis inuincibilitèr putat, ſe eſſe in gratia, cum non ſit. ad trad. per Alf. d. par. 1. n. 80. & 81. licet per accidens etiam ſacramentum pęnitentiæ dicatur conferre ſecundam gratiam, puta ſi quis ſola peccata venialia, vel ſola mortalia aliàs confeſſa, & remiſſa confiteatur. Nau. ſub d. n.43. Vnde ſi quis ità attritus recipiat ſacramentum extremæ Vnctionis, dicetur verè pęnitēs, licèt non confeſſus, quia omnia ſacramenta conferunt gratiam. Nau. vbi ſupra n.44. & ad materiam faciunt tradita per Sylueſt. ver. Sacramentum. per totum, & de Sacramento Euchariſtiæ in term. Pater Auerſ. dicit, Euchariſtiam per accidens conferre primam gratiam homini exiſtenti in peccato mortali, ſed accedenti bona fide, præmiſſa ſaltem attritione: hic enim ex attrito fit contritus quantum ad effectum, & iuſtificatur à peccato. ità de Sacr. Euchar. q.7. ſec. 1. verſ. affirmandum tamen eſt.

Vnde recipiet etiam indulgentiam. Vide, quæ dico infra n. 31. & 32.

27 Item quæritur, an detur per iubileum ordinarium facultas eligendi Confeſſarium. Dic, quod non. Alf. vbi ſupra q. 1. n. 63. in term. conſtit. Vrb. 8. Tenor tamen conſtitutionis emanandæ erit conſiderandus: non autem mirum ſi non detur facultas, quia cum iubileum aquiratur in Vrbe Roma, ibi non deſunt Confeſſarij, & Pœnitentiarij ad ſatietatem, maximè in toto Anno Sancto, qui plenè conſulere poſſint conſcientijs Pęnitentium; ſiquidem nullibi eſt aucto-

auctoritas, ſicut in Alma Vrbe, vt notiſſimum eſt.

28 Item quæritur, quoties Eccleſiæ deſignatæ ſint viſitandæ. Dic, quod quoad Romanos, & incolas Vrbis debēt viſitari per triginta dies ſiuè continuos, ſiuè interpolatos. Quo ad exteros autem, & peregrinos ſaltem per quindecim dies ſimiles. Et ipſemet Eccleſiæ ſemel ſaltem in die ideſt omnes Eccleſiæ deputatæ, ita vt non ſufficiat, ſi vna, vel duę tantum vno die viſitentur, & altero reliquæ, vt in Bulla Vrb. 8. cauetur, & etiam in Bulla Greg. 13. & Clem. 8. & antiquius hoc videtur expræſſum in extrau. 1. 2. & 3. de pœnit. & remiſſ. & tradit etiam idem Alf. d. par. 1. q. 2. n. 85. 86. & 87. niſi tamen alitèr diſponatur in Bulla eo anno publicanda: & ad materiam vide Nau. de iubil. not. 32. ſuper Bulla Greg. 13. n. 41. in ver. intermiſſis. & ver. ſemel. quicquid contrarium dicat glo. d. extrau. 1. in ver. & ſaltem ſemel. cum declaratio Greg. 13. ſit in contrarium, vt doctè per Nau. d. not. 32. in ver. ſemel ſaltem. & Alf. d. n. 87. vbi hoc ponit pro indubitato.

29 Sed quid ſi eodem die viſitat non ſolùm vnam, ſed duas Eccleſias, & poſteà ex ſuperueniente pluuia, vel alio impedimēto deficit in viſitatione cæterarum? Dic, quod poterit alio die repetere ex integro, & alias viſitationes complere. & ſi annus ſpiraret, intraret concluſio de legitimo impedimento, de quo vide infrà n. 35.

Vnum non omitto, quod caſu quo quis ex aliqua cauſa, puta ægritudinis, debilitatis, paupertatis, occupationis, & ſimilium impedimentorum tot viſitationes exequi non poſſet, eidē diminuerentur, cum in Vrbe non deſit auctoritas, vt innuit Nau. de iub. not. 34. ſub n. 7.

Viſitatio tamen debet fieri deuotè, vt exprimitur, de quo tamen latè ſuprà par. 3. cap. 1. per totum.

30 Qui autem in hac materia dicatur incola Vrbis, vide optimè per Nau. d. coment. de iub. not. 32. ſuper d. Bulla Greg. in ver. incolæ n. 43. & latè per Alf. de leo. d. par. 1. à n. 88. vſque ad 115. vbi quis propriè Romanus, quis incola, quis forenſis, quis peregrinus, &c.

31 Item quæritur, quænam oratio ſit facienda? quæ vtique fieri debet, prout in Bulla cauetur, nam de oratione in præfatis extrauagantibus ne verbum quidem: in vltima autem Bulla, quę eſt Vrbani viij. iniungitur, vt pro fidelium, & totius populi Chriſtiani ſalute piæ ad Deum preces effundantur, vt ſupra tactum eſt n. 13. vnde tenor Bullę emanandę erit obſeruandus: ad

hinc

Digitized by Google

hanc tamen materiam vide, quę supra scripsi par.3.c.2. per totũ.

32 Item quæritur, an indulgentia iubilea aquiratur non solùm quo ad peccata commissa ante Bullam, seu etiam ante Annum sanctum; sed etiam quo ad commissa post Bullam, & etiam ingressum anni sancti, imò & post iter arreptum ad Vrbem etiam vsque ad vltimam visitationem Ecclesiarum. Breuiter quicquid in hoc controuertatur per D D. dico, quod indulgentia aquiritur quo ad omnia peccata tam commissa ante iubileum, quam post, dumodo ante vltimam visitationem per pęnitentiam, & confessionem deleantur, ita vt in vltima visitatione fidelis sit in statu gratiæ. est conclusio Nau. de iub. not. 32. sub n. 39.

33 Præterea quæri potest, an indulgẽtia iubilea in Anno sancto pluries quæri possit. Ego cum Nau. credo posse per rationes ab eo allatas de iub. d. not. 32. in ver. deuotè. sub n. 47. ibi pars verò affirmans videtur verior. & not. 34. in fi. dummodò ex integro visitationes, & orationes fiãt vide ibi. & in hoc non puto eandem rationem esse in iubileo ordinario, quæ est in extraordinario, de quo supra suo loco vz. hac p. 4. c. 1. à n. 13. vsq; ad 18. incl.

34 Quæri etiam potest, an in hoc iubileo quęrendo sit ieiunandũ, vel eleemosina facienda, vel cõmunicandum, vt in iubileis extraordinarijs, & Resp. negatiuè, vt ex constit. Apostolicis iubilei ordinarij elicitur: erit tamen in hoc attendendus tenor constitutionis publicandæ.

At in hoc non est admiratio aliqua concipienda, nam visitationes Ecclesiarum Vrbis per quindecim dies quo ad peregrinos vltra iter à patria ad Vrbẽ, & per 30. quo ad Romanos, & incolas, requirunt notabilem laborem itineris: itinerantes autẽ nimis grauarentur, si esset eis ieiunandum. Nec eleemosina iniungitur, quia sumptus exterorũ sunt notabiles; nec decet incolis solùm iniungere, ne difformiter procedatur, maximè quia occasione Anni iubilei, & ipsi prouocantur ad notabiles expensas ex pijs causis erogãdas: satis enim est, quod in visitatione propter commoditatem grauentur in duplum. Communio tamen non iniungitur, quia præsumitur, quod quisq; verè pęnitens, & confessus vtique hoc sacramẽtum, quod est alimentum charitatis, quæ vita est animæ nostrę, sit accepturus, ne tam suauis refectionis, quæ cum ipso Christo vnit, sit expers: nam quid suauius, quam nos esse in Christo, & Christum in nobis, ac in æternũ viuere? scriptum est enim, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, &

net, & ego in eo: & qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Io: 16. Pro conclusione tamen (ne scrupulos inijciam) teneo nec ieiunium, nec eleemosinam, nec communionem esse necessariam, cum prædicta non iniungantur.

35 Item quæritur, an impeditus possit aquirere iubileum, siuè indulgentiam plenissimam in Anno Sancto. Et Resp. distinguendo: Aut loquimur de impedimento quo ad visitationes Ecclesiarum: Aut quo ad confessionem (nam respectu contritionis, & orationis nullus potest dici legitimè impeditus) Si ergò de impedimento quo ad visitationes, Dico, quod qui cepit iter ad hunc effectum siuè sit incola Vrbis, siuè de longe veniat, si legitimè impeditus nō possit cōplere iter, & visitationes, indulgētiā tamen iubileam cōsequitur, dūmodo verè pęnitens, & confessus decedat. tex. est clarus in extrau. Vnigenitus. alias incip. Dudum. de pœnit. & remiss. & clarius habetur in const. Vrb. 8. quæ incipit. Omnes gentes, quę tangit impedimentum morbi, vel alia ex legitima causa, aut etiam mortis, quibus impedimētis præuenti ante complementū præfiniti numeri dierum 30. vel 15. respectiuè (quod plus est) etiam, quod iter non inchoauerint, dumodo habuerint promptam voluntatem exequendi, & iubileum aquirendi; indulgentiæ, & remissionis prędictæ erūt participes, si verè pœnitentes, & confessi fuerint: & hoc est clarū per tex. eiusdem const. Si verò de impedimento quo ad confessionem dico secus, cum vix dari possit in Vrbe, nisi fortè si quis decederet in via, dum visitat, aliquo repentino accidente præuentus, quia tunc putarem sufficere contritionem; eo enim casu per se non stat: tutius tamen esset ante arreptionem itineris confiteri.

Quòd autem impedimentum quo ad confessionem non sufficiat, concludit optimè Alf. de leo. par. 1. n. 69. & 70. con. Nau. de iub. not. 18. n. 17. 18. & 19. qui tamen ibi de more satis fundatè, & solidè loquitur; vndè si casus eueniret, vt nullo modo quis posset confiteri, crederem cum Nau. posse talem contritum quidem aquirere indulgentiam anni iubilei, vt ibi d. n. 19. concludit, licèt quo ad iubileum extraordinarium supra contrarium tenuerim, quia ibi requiritur pro onere, & est requisitum necessarium, & facit conditionem, ità vt concessio conditionalis non verificetur, nisi conditione impleta, vt supra firmatum est. hic autem videtur sufficere status pęnitentis per verba illa (verè pęnitentes, & confessi) quæ uerificantur

Digitized by Google

ficantur etiam in eo, qui ab ultima confessione non cecidit in culpam lethalem, uel non recordatur peccata mortalia alias legitimè non confessa, ut dicit idē Nau. vbi supra, & benè no. nam fuit originale dictum glo. magn. in extrau. 1. de pęnit. & remiss. in ver. confitebuntur. & faciunt DD. allegati per Alf. d. par. 1. n. 60. & 61.

Hoc vltimum tamen locum habet solum in eo, qui aliàs legitimè confessus fuit, & postea aliud lethale non admisit, quia si admisit, erit necessaria confessio, si fuerit saltem attritus ea attritione, quæ sufficit ad petendā absolutionem sacramentalem, de qua dixi supra n. 25. aliàs necessaria erit vera contritio vt supra. Si enim sufficit status pęnitentis, satis erit, si sit contritus, & absolutè confiteri non possit; nam defectus contritionis legitimæ (inquit Nau. sub d. n. 19) semper, & vbiq; impedit aquisitionem indulgentiæ. defectus autem confessionis legitimæ, nō semper, quia non impedit, cum fieri non potest, vel facta, creditur legitima.

36 Hoc tamen casu, vt tutius agatur, non ab re alienum putarem vti cautela Alf. vt scilicet talis accipiat sacramentum Eucharistiæ, vel Extremæ vnctionis, si possit, quia iuuant etiam ad indulgentię aquisitionem, arg. eorum, quæ ipse tradit par. 1. n. 80. 81. & sub 83. fieri enim posset, vt talis se putaret contritum, cum tamen non esset, nisi attritus. & vide, quę tradidi sup. n. 26

37 Sed quid dicendum de oratione? Dic, quod cum sit vnum ex requisitis necessarijs, impedimentum, non excusat, quia nemo potest dici legitimè impeditus ad orandum, ergo qui non orat iuxta mentem S. P. non aquirit indulgentiam per supradicta, & vide quę tradidi supra par. 3. cap. 2. per totum, vbi præcipuè, an sufficiat tantùm mentalis oratio; & an explicitè orandum sit iuxta contenta in Bulla, an sufficiat implicitè tantùm orare, vide ibi.

Vnum autem addendum puto, quod si detur casus, vt quis non possit visitare Ecclesias, quia oratio facieda videtur in Ecclesia, vt d. par. 3. cap. 2. n. 12. 13 & 14. licet in const. Vrbani non adsit particula (ibi) dicetur per accidens legitimè impeditus etiam ad orandum; iam enim firmatum est, impedimentum quo ad visitationes excusare, vt sup. n. 31. Tutius tamen putarem eo casu orandum etiam esse extra Ecclesiam, nisi repentino aliquo accidente quis pręueniatur, quia ad impossibile nemo tenetur. l. impossibilium. ff. de reg. iur. & in hoc idem diceré, quod dixi de confessione supra n. 35. in fi.

Digitized by Google

in fi. Et licèt oratio sit vnum ex requisitis necessarijs secundum d. Bullam Vrb. 8. tamen videtur regulari iuxta naturam visitationum Ecclesiarum, videtur enim annexa visitationi, ergo, &c. vt l. nihil dolo. ff. de reg. iur. clarum est enim, eum, qui non potest visitare Ecclesias per 30. vel 15. dies, excusari à visitationibus, quæ ei supersunt; vel ab omnibus, si in principio impediatur, quo casu absurdum esset dicere, talem impeditum obligari ad orandum per 30. vel 15. dies, vel minus; satis enim esset orare semel, videlicet respectu primæ Ecclesiæ visitandæ. facit c. clericos. de offi. Vica.

38 Tandem quæri potest, an qui Anno Sancto facit, quod iniungitur, & credit, se satisfecisse, & indulgentiam quæsiuisse, tandè in patriam reuersus perspicit aliquo modo, confessiones non fuisse legitimas, & ad gratiam quærendam sufficientes ex defectu aliquo contritionis, confessionis, vel absolutionis, an talis aquirat indulgentiam iubilei, si intra eundem Annum Sanctum ita suppleat, vt in gratiam Dei per eius misericordiam reuertatur. Nau. tenet affirmatiuam, de iub. not. 32. sub n. 39. sub uers. per hæc argumenta, quod & ego libentèr sequerer, si ex iusta, & probabili ignorancia id contigisset, & ad hoc facit eius doctri. in eo. tract. not. 18. n. 15. sed tamen ipse sub d. n. 39. id tenet, etiam si ex ignorantia crassa, quod ego non auderem, quia licèt ignorātia crassa excuset à tanto, non tamen excusat à toto. ut ex eo. in Man. cap. 23. n. 45. Nec in hoc uideo, rem de sui natura esse diuiduam, in indiuiduis autem nō uidetur posse cadere conclusio, ut quis excusetur à tanto, dum non excusatur à toto: & si dicatur id uerificari posse saltem in indoctis, & idiotis, ego dico, quod quo ad tales erit ignorantia inuincibilis, & iusta, & sic iuxta conclusionem per me suprà firmatam; hæc enim excusat in omnibus iux. trad. communitèr per DD. & præcipuè Nau. d. n. 45.

39 Nisi dicamus pro Nau. quod ignorantia crassa, quatenus in se continet inaduertentiam, uel inconsiderationem, licèt in foro fori non excuset, tamen in foro poli potest excusare, in quantū reddit actum inuoluntarium, tunc enim est causa sine qua nō. Pondera quæ tradit idem Nau. in Man. cap. 17. n. 177. iunctis ijs, quæ dicit prælud. 6. n. 8. maximè si defectus fuit ex parte absolutionis, in quo ignorantia inuincibilis potius considerari potest in pœnitente, quàm crassa, puta si culpa sit ex parte Confessarij, ex malitia, uel incogitantia seu ignorantia non absoluentis; quo casu

Digitized by Google

quo casu putarem hunc Penitētem excusandum, quandiu est in bona fide, sed ad effectum recuperandi gratiam necesse erit, ut confiteatur, stante inualiditate confessionis, tàm si ex parte Cōfessarij, quàm Pœnitentis, qui non fuerit sufficientèr attritus, uel defecerit in integritate confessionis. Et casu quo non possit, putà ex aliquo accidenti repentino, curet saltem recipere sacramentum Extremæ Vnctionis, & conterat, quantum potest, ità ut sit saltem sufficientèr attritus, quia recipiet gratiam, ut supra tetigi n. 26.

40 Difficultas tamen est ratione indulgentiæ, si quidem iste talis non redit in gratiam ante ultimū opus, ut tradit Alf. d. par. 1. n. 83. licèt ibi loquatur de confessione informi, hic autem casus est de confessione inualida, in quibus tamen uidetur quo ad hoc eadem ratio, nam indulgentia non stat in suspenso, ut ibi dicitur, quod tamen esset in casu nostro; attamen cum agatur de fauore animæ, & sine præiudicio alicuius, non discederem ab opinione Nau. arg. l. quod fauore ff. de legi. agitur enim hic de beneficio Principis non præiudiciali tertio, quod est latissimè interpraetandum, ut ait idem Nau. de iub. not. 32. sub n. 47. Si quidem si non reuertitur in gratiam ante ultimum opus, reuertitur saltem ante finem anni iubilei, & gratiarum, undè piè præsumendum est etiam de mēte S. Pontificis extensionem hāc non negantis, indulgentiam acquiri maximè stante quod talis fidelis fecerit in omnibus, quantum in se fuit, unde tanto magis hoc procederet, si confessio fuisset informis, licet in iubileo extraordinario, alitèr senserim, ut supra hac ea. par. 4. cap. 5. sub n. 84. uers. Vnde nec fortè erit.

41 Prædictis omnibus vnum addendum puto pro Cautela omnium iubileum lucrari volentiū, vt in alma Vrbe accedāt ad Cōfessarios practicos, puta Penitētiarios, qui semper, & præcipuè eo anno pollent auctoritate maxima super censuris, & peccatis, ac commutatione votorum, & ab eis petant absolutionem non solùm à censuris, & peccatis cōfessis, sed etiam generalitèr ab omnibus alijs cuiuscunque generis, & qualitatis etiam reseruatis Ordinario, vel etiam summo Pontifici, in quę fortè incurrissent, & eo tempore non recordarentur, quia tunc præsumendum est, Confessarium impertiuisse absolutionem iuxta petita; & sic non erit necesse, si aliqua in memoriam postea occurrerint, adire amplius Confessarium habentem auctoritatem super reseruatis, cum per talem absolutionem generalem tempore iubilei

Digitized by Google

bilei tollatur omnis reseruatio, de qua materia satis abbundè dixi supra hac ea. par. 4. cap. 5. n. 54. & 55. quo ad censuras: & n. 79. quo ad peccata; & sic in patriam reuertentur conscientia munda, repleti omni spirituali solatio, & expulsis scrupulis quibuscunque.

42 Vt ergo fideles ad tàm excellentis, cęlestisq; thesauri adeptionem reddantur auidiores, ac promptiores, & omni gaudio repletiores, toto corde Deum precentur, vt S. D. N. Innocentium Decimum incolumem, & validum seruet ad Sanctissimas functiones totius Anni Sancti peragendas, nam sicut Ipse in cultu Dei maiorem zelum debet habere, quàm alij Christi fideles, iux. tex. in c. officij. 24. q. 1. ità ab omnibus instātius est pro ipso orandum, quanto propensius animaduertitur, post Deum ex ipsius incolumitate pēdere salutē omniū, vt c. si Papa 40. dist.

43 Petant ergo eo anno fideles alacri animo Almam Vrbem, Sanguine Martyrum aspersam, & tot augustis Templis, & admirandis Ecclesijs, sanctisq; locis decoratam, & coelestibus thesauris refertam, vt ineffabile reddatur, quod in rei veritate in se continet: Haec enim Vrbs meritò nuncupari potest locus, quem elegit Dominus, mistica Hierusalem, tot, tantisq; à Deo beneficijs aucta, tot muneribus cumulata, vt verè de ea dicatur, Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Domini, videlicèt, fluminis cęlestium gratiarum, cuius opportuna irrigatione Fidelium animæ fęcundantur, vt ex tex. Const. Vrb. viij. elicitur. Potissimum autem vltra hęc, maxima, & penè ineffabilis Maiestas in Christi Vicario cernitur, qui à Christi fidelibus humilitèr in terra prostratis deuotissimè veneratur, & adoratur. Vide, quæ de Papa vti Vicario Christi, & ei tradit nouissimè Magist. Angelus Vantius Ariminensis, Theologus insignis, & decus Augustinianæ Religionis in sua Acad. Ecclesiast. par. 1. cap. 9. in fi. & c. 10. in princ. & in tract. de Ecclesiast. potest. qui est Alexandri de S. Elpidio, studio tamen eiusdem Vantij, mendis expurgato, & in lucem edito, cap. p. vei fi. Sacerdotium maximum. & cap. 4. per totum, & c. fi. vbi ponitur de verbo ad verbum tenor Epistolæ Constantini Magni directæ vniuersali Ecclesiæ visu, & notatu dignæ; vndè meritò Sebastianus Maccius Concicius meus Poeta eximius, prætèr alios titulos, quos iure meretur, egregiè cecinit lib. p. Soterid. ibi.

Tu verò Antistes, mundi quē sceptra fatigant,
Et quo nil maius, &c.


Atten-


Attendamus ergò Constitutionem emanandam, ex qua spe ratur pro bono regimine spiritualium, & temporalium omnium prouisio talis, quæ tanto Pontifice digna noscatur, prompti semper ad obediendum, & exequendum, quicquid ab ipso Sanctissimo statutum fuerit, cũ omnis Sanctio Apostolicæ Sedis ità accipienda sit tanquam ipsius Petri Diuina voce firmata iux. tex. in c. sic omnis 19. dist.

Hactenus de Iubileo ordinario: alia ad materiam habentur supra in corpore tractatus de Iubileo extraordinario. Omnia ad Dei, & Deiparæ Virginis laudem, & fidelium salutem. Amen.

Sub censura Sanctæ Sedis Apostolicæ, &c.

F I N I S.





Digitized by Google



INDEX EORUM.

QUÆ IN PRÆSENTI Tractatu continentur.

Vbi p. significat partem, c. capitulum, n. numerum, §. paragraphum, not. notabile, vers. versiculum, f. folium.

Digitized by Google

Digitized by Google

Commu-

Digitized by Google

Digitized by Google

D

Diffe-

Digitized by Google

E

Digitized by Google

Digitized by Google

I

&an in.

Digitized by Google

Infan-

minuen-

Digitized by Google

L

M

Et an

P

Papæ

Digitized by Google

in sacra-

Digitized by Google

per por-

Digitized by Google

Q

R

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Voto-

Digitized by Google

Digitized by Google

LAVS DEO.





Digitized by Google

Digitized by Google

ERRATORVM CORRECTIO.

F.	Col.	Vers.		
9	2	7	debitis	debitarum
10	1	21	cap. 13.	cap 3
		25	facesdote	sacerdote
	2	14	vt eod.	vt ex eod.
11	1	10	venerbilium	venerabilium
12	2	7	quantum	quantam
13	2	28	qua;	quo
15	1	13	tantum	tactum
		38	parcas	paruas
16	1	8	quis	quid
18	2	29	Gratia, relatum	Gratia. relatus
19	2	3	modo	nostro
20	1	24	dispensandum	dispensandus
	2	21	in fine adde	& clarum est, iubileum, & indulgẽtiam plen. ad solum S. P. spectare, vt sup. c. 3. n. 6.
21	1	5	interpretandum	interpretandam
	2	12	Clementi 6.	Clementis 6.
		14	videtur opinio	videtur tamen opinio
22	1	10	declaratione	declaratiuè
23	1	23	probabiliem	probabilem
27	1	27	moneribus	muneribus
28	2	17	cuique	cuiquam
29	1	29	di N. S. Innocentio	di N. S. Papa Innocentio
	2	23	ad interuenire,	ad interuenire)
31	2	35	vt autem. n. 9.	vt autem. not. 9.
33	1	2	not. 6.	noto sex.
	2	10	delata	deleta
34	1	18	sub n. 3.	sub not. 3.
		38	n. 8.	not. 8.
		vlt.	n. 9.	not. 9.
	2	17	notatue	noto
35	1	21	in termino	in terminis
	2	9	notar	notab.
		17	no.	nota
39	1	26	vel Dieceses	& Diæceses
	2	31	suo accidentali	sui accidentali
42	1	16	not. 2.	not. 1. & 2.
48	2	22	indifferente, sed tamen	indifferente, vel bono, sed tamen
		26	conuenit	concurrit
		28	conuenit	concurrit
54	1	37	tunc	nunc
55	2	25	facta	factam
58	1	15	vt l. falta	vt l. falsa.
60	2	35	effundant,	effundant]
65	1	38	Graff.	Goff.
66	2	2	receptum	receptam
68	2	14	fallit	fallat,
70	2	27	anno non completo	anno completo
		32	excepit	explcuit
73	1	33	q. 1. n. 13.	q. 1 punc. vlt. n. 13.
80	1	22	dic quod cum Alf.	dic, quod non Alf.
	2	26	suppler	supplent

Digitized by Google

ERRATORVM CORRECTIO.

F.	Col.	Vers.		
86	2	25	vbi agitur	vbi tamen agitur
88	1	12	infra n. 20.	infra n. 10.
91	2	31	ponat	exponat
92	2	5	quam	plusquam
102	2	8	per totum	per totam
108	1	18	venit	euenit
120	2	12	cap. præced.	cap. præced. n. 5.
130	2	11	Valentiniana	Valentina
		13	Valentiniana	Valentina
132	1	29	intelligibilis	intelligibilibus
140	1	13	Cominc.	Coninc.
149	2	35	an talis grauiter peccet	an talis reincidat in censuras, vel saltem grauiter peccet
		37	ita ex Bonac. post Enriq.	ita ex Bonac. allegato sup. sub n. 61. & ex eod. post Enrinq.
150	1	3	per	quod
151	2	32	vbi	ibi
162	2	12	quid	quod
163	1	37	reddendum	reddendi
176	2	17	à n. 6. vsque ad 16.	à n. 16. vsq; ad 26.
181	1	22	infra n. 61.	infra n. 161.
184	1	15	in dubio	in dubijs
192	1	8	viam	iram
			eo. & seq. preces adiungentes, paratam in nos Dei viam.	*deleantur quia abundant.*
		10	accertamus	auertamus
193	2	20	oratione	orationem
195	1	10	cuique	cuiquam
198	2	13	quam dies	quan. dies
203	2	23	efficiatur	afficiatur
204	2	33	deforme	difforme
220	1	37	respectiuè [quod	respectiuè, imò (quod



A R I M I N I

Per Symbenum Symbenium M. DC. XXXXVIII.

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google